

L. ANNAEI SENECAE

TRAGOEDIAE.

RECENSUIT

TORKILLUS BADEN,

MAG. ART. LIB. ET D. PHILOS., PROFESSOR EMERITUS, ARCI REG. CHARLOTTENBURGENSI PRAEFECTUS, ACADEMIAE REG. ARTIUM ELEGANTIORUM ET SOCIETATIS LITERARUM ELEGANTIORUM, QUAE HAVNIAE VIGENT, SODALIS ET SECRETARIUS, NEC NON SOCIETATI REG. SCIENTIARUM GOTTINGENSI LITERARUM COMMERCIO CONJUNCTUS.

PARS POSTERIOR.

LIPSIAE

APUD GERHARDUM FLEISCHER.

1821.


STRASSBURG UNIVERSITÄTS- & LANDESBIBLIOTHEK
K. U. & L. B.
DUBLETTE
STRASSBURG

MEDEA.

1*

DRAMATIS PERSONAE.

MEDEA.
IASON.
CREON.
NUTRIX.
CHORUS CORINTHIORUM.
NUNTIUS.

ACTUS PRIMUS.

MEDEA.

Dii conjugales, tuque genialis tori
Lucina custos, quaeque domituram freta
Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
Et tu profundi saeve dominator maris,
Clarumque Titan dividens orbi diem,

---

2) *quaeque domitorem freti*) Optime Florentinus *domituram freta*. Val. Flaccus I. v. 604:
Graja novam ferro molem commenta juventus
Pergit, et ingenti gaudens domat aequora velo.
Manilius I. v. 621. de Argo:
clavumque ratis, quae vicerat aequor.
Ovidius Met. I. v. 134. de alnis:
quaeque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinae.
ubi vide Burmannum.

3) *novam frenare*) id est, regere. Val. Flaccus I. v. 22:
Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis.

Tacitisque praebens conscium sacris jubar,
Hecate triformis, quosque juravit mihi
Deos Iason, quosque Medeae magis
Fas est precari, noctis aeternae chaos,
Aversa Superis regna, Manesque impios,
Dominumque regni tristis, et dominam fide
Meliore raptam, voce non fausta precor:
Nunc, nunc adeste sceleris ultrices Deae,
Crinem solutis squallidae serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexae facem,
Adeste: thalamis horridae quondam meis
Quales stetistis. conjugi letum novae,
Letumque socero et regiae stirpi date.
Mihi pejus aliquid, quod precer sponso malum:

---

6) *Tacitisque praebens*) Horat. Epod. 5. v. 51:
Diana, quae silentium regis,
Arcana quum fiunt sacra.

13) *Adeste, adeste*) Florentinus *Nunc, nunc adeste.* quod sequor. Herc. fur. v. 498:
Nunc, nunc cruentae regis Aegypti nurus
Adeste.

17) *conjugi letum novae*) Nihil opus est mutatione. Sic enim bis loquitur in Hercule Oetaeo, semel v. 976:
si potest letum dare,
Animose conjux, dextram exspecto tuam.
iterum v. 1411:
antequam letum mihi
Ignavus aliquis mandet.

19) *Mihi pejus aliquid*) Omissum *est* per ellipsin satis frequentem. Agamemnonis v. 970:
Justae parenti satis, at iratae parum.

Vivat. per urbes erret ignotas egens,
Exsul, pavens, invisus, incerti laris:
Me conjugem optet; limen alienum expetat,
Jam notus hospes: quoque non aliud queam
Pejus precari, liberos similes patri,
Similesque matri. parta jam, parta ultio est.
Peperi. querelas, verbaque incassum sero.
Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Coeloque lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis! et spectatur, et curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli?
Non redit in ortus, et remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi.

Alia dedit Vossius de Construct. Libri c. XIX. leto *pejus* puta exsulem vivere. Tacitus An. XII. 20. *servaret exsulem, cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* Euripides Med. v. 651:

μόχθων
δ' οὐκ ἄλλος ὕπερθεν,
ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι.

22) *limen alienum expetat*) Stat. Theb. II. v. 405:
externos summissum ambire penates.

23) *notus hospes*) Propert. II. 19. 30:
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon; hospes uterque malus.

25) *Similesque matri*) Tenendum, ita induci Medeam, ut quae sese flagitiis inquinatam non neget, sed ea imputet marito, in cujus gratiam perpetrata essent, v. c. v. 280:

Totiens nocens sum facta, sed nunquam mihi.

Committe habenas, genitor, et flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari juga.
Gemino Corinthos litori opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.
Hoc restat unum: pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum; postque sacrificas preces
Caedam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quaere supplicio viam,
Si vivis, anime: si quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcunque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos. effera, ignota, horrida,
Tremenda coelo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, et caedem, et vagum
Funus per artus. levia memoravi nimis.
Haec virgo feci. gravior exsurgat dolor.
Majora jam me scelera post partus decent.

---

35) *Gemino Corinthos litori*) Gronovius, probante Burmanno ad Propert. I. 6. 17., emendat *litore*. Sed *litus* pro mari ponitur, ut in Thyeste v. 114:

qui fluctibus
Illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit,
Vicina gracili dividens terra vada,
Longe remotis l i t u s *exaudit sonis.*

ubi vide.

40) *Per viscera ipsa quaere supplicio viam*) Seneca de Ira I. 1. Irae affectus *dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela, et ultionis secum ultorem tracturae avidus.* ibid. III. 3. de iratis: *gaudent feriri, et*

Accingere ira, teque in exitium para
Furore toto: paria narrentur tua
Repudia thalamis. quo virum linquis modo?
Hoc, quo secuta es. rumpe jam segnes moras:
Quae scelere parta est, scelere linquenda est domus.

CHORUS.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui coelum superi, quique regunt fretum,
Adsint, cum populis rite faventibus.
Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam nivei femina corporis
Intentata jugo placet. et, asperi
Martis sanguineas quae cohibet manus,
Quae dat belligeris foedera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.
Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Praecingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quae gemini praevia temporis
Tarde stella redis semper amantibus:

---

instare ferro, et tela corpore urgere, et per suum vulnus exire.

Te matres avidae, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti jugis
Exercet juvenum modo,
Muris quod caret, oppidum:
Et quas Aonius latex,
Alpheosque sacer lavat.
Si forma velit aspici,
Cedent Aesonio duci,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui juga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,
Frater virginis asperae.
Cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.
Sic, sic, Coelicolae, precor,
Vincat femina conjuges,

---

78) *Exercet juvenum modo*) Aemilius Magnus ad Nympham nimis cultam v. 59:

puellarum dum ludis in agmine princeps,
Inter virgineos lucida stella choros.

83) *Cedent Aesonio duci*) Apollonius Rhodius III. v. 1280. de eodem:

ἄλλα μὲν Ἄρει
εἴκελος, ἄλλα δέ που χρυσάορι Ἀπόλλωνι.

84) *Proles fulminis*) Ovidius Fast. III. v. 504. ad Bacchum:

ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.

Vir longe ut superat viros.
  Haec cum femineo constitit in choro,
Unius facies praenitet omnibus.
Sic cum sole perit sidereus decor,
Et densi latitant Pleïadum greges,
Cum Phoebe solidum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niveus puniceo color
Perfusus rubuit: sic nitidum jubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenae solitus pectora conjugis
Invita trepidus prendere dextera,
Felix Aeoliam corripe virginem

---

92) *Vir longe superet viros)* Lege ex Melissco: *Vir longe ut superat viros.* Claudianus I. v. 200:

Conjuge digna Probo: nam tantum caetibus extat
Femineis, quantum supereminet ille maritos.

93) *Haec cum femineo)* Recte ita rescriptum pro *virgineo.* Aristaenetus Epist. I. 10. extr. *πάλαι τοίνυν αἱ παρθένοι, συναριθμουμένης αὐταῖς τῆς Κυδίππης, ἐπλεονέκτουν σφόδρα τῶν γυναικῶν, τὸν κολοφῶνα φέρουσαι τῆς εὐπρεπείας· νυνὶ δὲ τῆς νύμφης ἐν γυναιξὶ ταττομένης, μειονεκτοῦσιν αἱ κόραι· τοσοῦτον ἡ φύσις ἁπανταχοῦ τὸ λαμπρὸν αὐτῆς ἐκορυφώσατο κάλλος.*

97) *lumine non suo)* Plutarchi adversus Colotem libro c. 15. Parmenides de Luna:

νυκτιφαὲς περὶ γαῖαν ἀλώμενον ἀλλότριον φῶς.

Nunc primum soceris, sponse, volentibus.
Concesso, juvenes, ludite jurgio.
Hinc illinc, juvenes, mittite carmina.
Rara est in dominos justa licentia.
  Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei,
Multifidam jam tempus erat succendere pinum.
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.
Solvat turba jocos. Tacitis eat illa tenebris,

---

106) *soceris, sponse, volentibus*) *soceros* intellige Creontem et uxorem ejus. Ita apud Virgilium Aen. II. v. 457:

qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros.

id est, Priamum et Hecubam.

109) *justa licentia*) Proba lectio *justa*. Lucianus in Cronosolone ex emendatione Guyeti: *σκώπτειν ἐξέστω, ἥν τις ἐθέλῃ.*

111) *jam tempus erat*) pro, est, ut apud Horatium Od. I. 37. 4:

nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus.

ubi vid. Mitscherlich.

114) *Tacitis eat illa tenebris*) id est, sine facibus nuptialibus, pronuba pinu, Hymenaeo. Vicissim Hypsipyle Nasonis Epist. VI. v. 43:

Non ego sum furto tibi cognita: pronuba Juno
Adfuit, et sertis tempora cinctus Hymen.

ire proprium de nubentibus verbum est.

Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

---

115) *nubit fugitiva marito*) Plerique codices *fugitura*. Tueor *fugitiva*, tanquam invidiose dictum pro exsule, profuga. Sic Turnum Virgilius *desertorem Asiae* vocat Aen. XII. v. 15. ubi vid. Heyn.

ACTUS SECUNDUS.

MEDEA, NUTRIX.

MED. Occidimus. aures pepulit Hymenaeus meas.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Haec facere Iason potuit? erepto patre,
Patria atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contemsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, et mare?
Adeone credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente vesana feror
Partes in omnes, unde me ulcisci queam.
Utinam esset illi frater! est conjux. in hanc
Ferrum exigatur. hoc meis satis est malis?

---

125) *in hanc Ferrum exigatur*) Heinsius malebat *per hanc*. Sed idem Seneca Consolat. ad Marc. 16. *tela, quae in Scipiones, Scipionumque patres et filios exegit.*

Si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae
Novere facinus, quod tuae ignorant manus,
Nunc est parandum. scelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant. inclitum regni decus
Raptum; et nefandae virginis parvus comes
Divisus ense, funus ingestum patri;
Sparsumque ponto corpus; et Peliae senis
Decocta aheno membra. funestum impie
Quam saepe fudi sanguinem! at nullum scelus
Irata feci. saevit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitrii
Jurisque factus? debuit ferro obvium
Offerre pectus. melius, ah melius, dolor
Furiose, loquere. si potest, vivat meus,
Ut fuit, Iason; sin minus, vivat tamen,
Memorque nostri muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit; quique genitricem abstrahit
Natis, et arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit. petatur solus hic; poenas luat,
Quas debet. alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi
Malea, longas navibus flectens moras.

---

142) *muneri parcat meo*) *muneri* puta nuptiali. Ovidius Epistola Medeae v. 203:

Dos mea, tu sospes.

149) *longas navibus flectens moras*) *nectens* malit Heinsius. At frustra. Lucanus VI. v. 58:

Et ratibus longae f l e x u s *donare Maleae.*

NUTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
Manda dolori. gravia quisquis vulnera
Patiente et aequo mutus animo pertulit,
Referre potuit. ira, quae tegitur, nocet.
Professa perdunt odia vindictae locum.
MED. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese. magna non latitant mala.
Libet ire contra. NUTR. Siste furialem impetum,
Alumna. vix te tacita defendit quies.
MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
NUTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
MED. Nunquam potest non esse virtuti locus.
NUTR. Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
NUTR. Abiere Colchi. conjugis nulla est fides,
Nihilque superest opibus e tantis tibi.
MED. Medea superest. heic mare et terras vides,
Ferrumque, et ignes, et Deos, et fulmina.

Cn. Lentulus Gaetulicus Epigr. VII. v. 2:
καὶ Μαλέου τυφλαὶ καμπτομένου σπιλάδες.

163) *Qui nil potest sperare, desperet nihil*) Explicat se ipsum Seneca Epist. V. *Desines, inquit* (Hecato), *timere, si sperare desieris. Dices, quomodo ista tam diversa pariter sunt? ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, conjuncta sunt. Quemadmodum eadem catena et custodiam et militem copulat: sic ista, quae tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur.*

NUTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.
NUTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.
NUTR. Moriere. MED. Cupio. NUTR. Profuge. MED. Poenituit fugae.
Medea fugiam? NUTR. Mater es. MED. Cui sim, vides.
NUTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam: at ulciscar prius.
NUTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.
NUTR. Compesce verba; parce jam demens minis,
Animosque minue. tempori aptari decet.
MED. Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Sed cujus ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creon.

CREON, MEDEA.

CR. Medea, Colchi noxium Aeetae genus,
Nondum meis exportat e regnis pedem?

---

175) *tempori aptari decet*) *aptari*, monente Wakefieldo Silv. Crit. I. p. 33. eleganter pro *te aptare* ponitur, ad normam mediae vocis Graecorum.

176) *Fortuna opes auferre, non animum potest*) Attius in Telepho:

Nam si a me regnum Fortuna atque opes
Eripere quivit, at virtutem non quiit.

Molitur aliquid. nota fraus, nota est manus.
Cui parcit illa? quemve securum sinit?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Concessa vita est. liberet fines metu;
Abeatque tuta. fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius affatus petit.
Arcete, famuli, tactu et accessu procul.
Jubete, sileat. regium imperium pati
Aliquando discat. vade veloci via,
Monstrumque saevum, horribile, jamdudum avehe.

MED. Quod crimen, aut quae culpa mulctatur fuga?

CR. Quae causa pellat, innocens mulier rogat.
MED. Si judicas, cognosce: si regnas, jube.
CR. Aequum atque iniquum regis imperium feras.
MED. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. MED. Redeo. qui advexit, ferat.
CR. Vox constituto sera decreto venit.
MED. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.
CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit.

---

201) *Auditus a te Pelia supplicium tulit)* id est, quasi tu audieris Peliam pro se dicentem, antequam ipsum interficeres, ut bene accepit vir doctus in Miscel. Obss. I. 1. p. 74.

Sed fare. causae detur egregiae locus.
MED. Difficile quam sit animum ab ira flectere
Jam concitatum, quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua coepit, ire; regia didici mea.
Quamvis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcunque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt;
Palustribus qua maria dulcescunt aquis;
Armata peltis quidquid exercet cohors

---

214) *quidquid exercet cohors*). Gronovius *exterret* edidit, Florentinum secutus. Non enim Amazones rus exercuisse. Sed usus verbi latius patet. Avienus in Periegesi v. 858:

longas exercet Sarmata silvas.

ubi Wernsdorfius: „Nullum dubium est, verbum *exercere* poëtis idem esse ac crebro usurpare et frequentare, ac de omni usu, actione et ratione vitae adhiberi, intelligendumque esse pro adjuncti ratione. Itaque etsi frequentissimum est *exercere terram, arva, solum* de agricolatione, ut v. 461. 1023. non minus tamen recte et usitate dicitur *exercere silvas,* de assiduo in silvis discursu, labore, venatu, habitatione, pastione, alioque actu vitae: quomodo de Massylis noster supra v. 284: *nunc silvas inter oberrant Conjugibus natisque simul.* Proprie quidem res et rationes exercentur, sed poëta etiam locum et tempus, quibus res aguntur, exerceri dicit. Vid. quae

2*

Inclusa ripis vidua Thermodontiis:
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi. petebant tunc meos thalamos proci,
Qui nunc petuntur. rapida Fortuna ac levis,
Praecepsque regno eripuit, exsilio dedit.
Confide regnis, cum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus. hoc reges habent
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere. solum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Graeciae florem inclitum,
Praesidia Achivae gentis, et prolem Deûm
Servasse memet. munus est Orpheus meum,
Qui saxa cantu mulcet, et silvas trahit,
Geminumque munus Castor et Pollux meum
est;
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;

---

notavimus ad Prisc. v. 124." Jam alii comparaverunt Virgilium Aen. XI. v. 659:

Quales Threiciae cum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.

226) *Graeciae florem inclitum*) *Graeciae flos* est delecta manus Graecorum, et sic ἄνθος Ἑλλάδος dicitur Euripidi Troad. v. 808.

Omnesque Minyae. nam ducum taceo ducem:
Pro quo nihil debetur. hunc nulli imputo.
Vobis revexi ceteros, unum mihi.
Incesse nunc, et cuncta flagitia ingere;
Fatebor. obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. virgini placeat pudor,
Paterque placeat; tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus. hic tuus primum gener
Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, quae volet, nostram premat.
Non poenitet servasse tot regum decus.
Quodcunque culpa praemium ex omni tuli,
Hoc est penes te. si placet, damna ream:
Sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo.
Talem sciebas esse, cum genua attigi,
Fidemque supplex praesidis dextrâ petii.

---

242) *Fortuna causam, qua volet*) Florentinus *quae volet.* Rectius, ut monet Gronovius, allato simili Phaedrae dicto ex Hipp. v. 138:

Quemcunque dederit exitum casus, feram.

248) *praesidis dextrae petii*) *praeses dextra* inepte dicitur. Florentinus *dextrâ petii*, solemni more supplicantium. Herc. fur. v. 1005:

Scelus nefandum, triste, et aspectu horridum,
Dextra precante rapuit.

Troad. v. 693:

ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nulli s pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.

Plura Drackenborchius ad Sil. II. v. 413. *praesidis fidem petii*, id est, in fidem tuam et tutelam me reci-

Terra hac miseriis angulum et sedem rogo,
Latebrasque viles. urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,
Testatus equidem videor haud clare parum,
Generum exsulem legendo, et afflictum, et gravi
Terrore pavidum. quippe te poenae expetit
Letoque Acastus, regna Thessalica obtinens.
Senio trementem debili atque aevo gravem
Patrem peremtum queritur, et caesi senis
Discissa membra; cum dolo captae tuo
Piae sorores impium auderent nefas.
Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri: nullus innocuum cruor
Contaminavit. abfuit ferro manus,
Proculque vestro purus a coetu stetit.
Tu tu malorum machinatrix facinorum,
Cui feminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famae memoria est,
Egredere, purga regna; letales simul

---

peres, obtestata sum. Apuleius Met. X. p. 231. *contendit ad ipsam praesidis domum: magnoque fidem ejus protestata clamore.*

249) *Terra hac miseriis angulum*) Simile est illud Ciceronis III. Epist. ad Attic. 19. *te oro et obsecro — mihi — ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest.*

Tecum aufer herbas. libera cives metu.
Alia sedens tellure sollicita Deos.
MED. Profugere cogis? redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. fugere cur solam jubes?
Non sola veni. bella si metuis pati,
Utrumque regno pelle. cur sontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis jacet.
Fugam, rapinasque adice; desertum patrem,
Lacerumqne fratrem, quidquid etiamnum novas
Docet maritus conjuges, non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
CR. Iam exisse decuit. quid seris fando moras?
MED. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
CR. Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
MED. Per ego auspicatos regii thalami toros,
Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema natis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. CR. Fraudibus tempus petis.
MED. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?
CR. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
MED. Parumne miserae temporis lacrimis negas?
CR. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exsilio dies.
MED. Nimis est; recidas aliquid ex isto licet.
Et ipsa propero. CR. Capite supplicium lues,

Clarus priusquam Phoebus attollat diem,
Nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenaeo dies.

CHORUS.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans aequora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitae mortisque vias

---

305) *Dubioque secans aequora cursu)* Sunt qui *curru* legant. Ita quidem Catullus LXIV. v. 9:

Ipsa levi fecit volitantem flamine currum.

Sed *dubius* haud dubie melius convenit *cursui*, quam *currui*. Auctor Poëmatis admonitorii v. 23:

ναυηγοὺς οἴκτειρον, ἐπεὶ πλόος ἐστὶν ἄδηλος.

Nec nimis gratum foret *ligno* post *curru*. Nonnus Dionys. p. 124. v. 26:

δουροπαγὲς πόμπευε δι' οἴδματος ἅρμα θαλάσσης.

Vulgatam adeo confirmat Antiphilus Epigr. XXIV:

τόλμα, νεῶν ἀρχηγὲ, (σὺ γὰρ δρόμον ηὕραο πόντου,
καὶ ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρέθισας)
οἷον ἐτεκτήνω δόλιον ξύλον, οἷον ἐνῆκας
ἀνθρώποις θανάτῳ κέρδος ἐλεγχόμενον;
ἦν ὄντως μερόπων χρύσεον γένος, εἴ γ' ἀπὸ χέρσου
τηλόθεν, ὡς Ἀΐδης, πόντος ἀπεβλέπετο.

Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur aether,
Non erat usus: nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates:
Non Oleniae lumina caprae:
Non quae sequitur flectitque senex
Attica tardus plaustra Bootes:

---

308) *gracili limite)* Seneca pater Controv. III. 16. *scitis, nihil esse periculosius, quam etiam instructa navigia: parva materia sejungit fato.*

313) *sidera caprae)* *lumina* bene Florentinus. Noster in Thyeste v. 795:

Nondum serae nuncius horae
Nocturna vocat lumina vesper.

Statius Theb. III. v. 63:

noctis vaga lumina testor.

315) *Arctica tardus plaustra Bootes)* *Arctica* pro *Arctoa* non legi, nisi apud posterioris aevi scriptores. et sane Florentinus *Attica*, quod verum est. Bootes enim nonnullis veterum Astrologorum Icarius Atheniensis, ut ex Arati Scholiaste liquet, et ex Hygino. Hinc et *Actaeus Bootes* Valerio Flacco lib. II. v. 68:

quo sidere vibret
Ensis, et Actaeus niteat qua luce Bootes.

ut minime sint audiendi, quibus *Arctous Bootes* illuc loci revocatur. Apud Propertium lib. II. Eleg. XXXIII.

Non audis, et verba sinis me ludere, cum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.

Germanicus in Arateis v. 91. ut vir magnus ex optimo codice jam castigavit:

Ipsam Helicen sequitur senior, baculoque minatur,

Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis. nunc lina sinu
Tendere toto: nunc prolato
Pede transversos captare Notos:
Nunc antennas medio tutas
Ponere malo: nunc in summo
Religare loco, cum jam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, et alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida nostri secula patres
Videre, procul fraude remota.
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioque senex factus in arvo,
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti foedera mundi

Sive ille Arctophylax, seu Bacchi ad munera caesus
Icarus ereptam pensavit sidere vitam.
Heinsius.

Hanc lectionem recepi.

335) *Bene dissepti foedera mundi*) Imitatur Horatium Od. I. 3. 21:

Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen inpiae

Traxit in unum Thessala pinus,
Jussitque pati verbera pontum;
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum. dedit illa graves
Improba poenas, per tam longos
Ducta timores: cum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsu, velut aetherio
Gemerent sonitu; spargeret astra,
Nubesque ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, et omnes
Labente manu misit habenas:
Orpheus tacuit torpente lyra;
Ipsaque vocem perdidit Argo.
Quid! cum Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter solvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid! cum Ausonium dirae pestes

Non tangenda rates transsiliunt vada.

343) *Subito impulsu*) hoc est, collisione. Apollonius Rhodius II. v. 566. de iisdem:

ταὶ δ' ἄμυδις πάλιν ἀντίαι ἀλλήλῃσιν
ἄμφω ὁμοῦ ξυνιοῦσαι ἐπέκτυπον.

Plinius Hist. Nat. II. LXXXV. *montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo adsultantes, recedentesque.*

Voce canora mare mulcerent;
Cum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus solitam cantu
Retinere rates paene coegit
Sirena sequi? quod fuit hujus
Pretium cursus? aurea pellis;
Majusque mari Medea malum,
Merces prima digna carina.
Nunc jam cessit pontus, et omnes
Patitur leges. non Palladia
Compacta manu regum referens
Inclita remos quaeritur Argo.
Quaelibet altum cymba pererrat,
Terminus omnis motus, et urbes
Muros terra posuere nova.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxem:
Albim Persae, Rhenumque bibunt.
Venient annis secula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

ACTUS TERTIUS.

NUTRIX, MEDEA.

NUTR. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
Resiste, et iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum jam recepto Maenas insanit Deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysae jugis;
Talis recursat huc et huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat,
Proclamat: oculos uberi fletu rigat.
Renidet. omnis specimen affectus capit;
Haeret, minatur, aestuat, queritur, gemit.

---

389) *omnis specimen affectus capit*) Heinsius malebat: *omne specimen affectus*. Omnigenos tamen affectus proxime memoravit nutrix: *oculos uberi fletu rigat, renidet, haeret, minatur*, reliqua. Similis autem lo-

Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus.
Se vincet: irae novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Dii fallant metum!
MED. Si quaeris odio, misera, quem statuas modum,
Imitare amorem. regias egon' ut faces
Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra coelum media libratum feret,
Nitidusque certas mundus evolvet vices,
Numerusque arenis deerit, et solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus
Versabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus cessabit in poenas furor,

---

cus Apuleii Met. V. p. 102. *Psyche relicta sola, nisi quod infestis furiis agitata sola non est, aestu pelagi similiter maerendo fluctuat; et, quamvis statuto consilio et obstinato animo, jam tum facinori manus admovens, adhuc incerta consilii titubat, multisque calamitatis suae distrahitur affectibus. Festinat, differt; audet, trepidat, diffidit, irascitur, et, quod est ultimum, in eodem corpore odit bestiam, diligit maritum.*

394) *Se vincet*) Cicero Verr. V. 44. *secum ipse certat; id agit, ut semper superius suum facinus novo scelere vincat.*

Crescetque semper. quae ferarum immanitas,
Quae Scylla, quae Charybdis, Ausonium mare
Siculumque sorbens, quaeque anhelantem premens
Titana, tantis Aetna fervescit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro saevus, aut vis ignium
Adjuta flatu, possit inhibere impetum
Irasque nostras. sternam et evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest.
Sed cesserit coactus, et dederit manus;
Adire certe, et conjugem extremo alloqui
Sermone potuit; hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugae
Genero licebat. liberis unus dies
Datus duobus. non queror tempus breve:
Multum patebit. faciet, hic faciet dies,
Quod nullus unquam taceat. invadam Deos,
Et cuncta quatiam. NUTR. Recipe turbatum malis,
Hera, pectus. animum mitiga. MED. Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.

---

428) *trahere, cum pereas, libet*) Lucretius VII. v. 654.
trahere omnia secum
Mersa juvat, gentesque suae miscere ruinae.

NUTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

IASON, MEDEA.

IAS. O dura fata semper, et sortem asperam,
Cum saevit, et cum parcit, ex aequo malam!
Remedia toties invenit nobis Deus
Periculis pejora? si vellem fidem
Praestare meritis conjugis, leto fuit
Caput offerendum: si mori nolim, fide
Misero carendum est. non timor vincit virum,
Sed trepida pietas. quippe sequeretur necem
Proles parentum. o sancta, si coelum incolis,
Justitia, numen invoco ac testor tuum.
Nati patrem vicere. quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde, nec patiens jugi,
Consulere natis malle, quam thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viso memet, exsiluit, furit.
Fert odia prae se, totus in vultu est dolor.
MED. Fugimus, Iason, fugimus. hoc non est novum,
Mutare sedes. causa fugiendi nova est.
Pro te solebam fugere. discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam,
Patriumque regnum, quaeque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras jubes?

Quae maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
Quascunque aperui tibi vias, clusi mihi.
Quo me remittis? exsuli exsilium imperas,
Nec das. eatur. regius jussit gener.
Nihil recuso. dira supplicia ingere;
Merui: cruentis pellicem poenis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Clusamque saxo noctis aeternae obruat;
Minora meritis patiar. ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque saevos gentis indomitae metus,
Armifero in arvo flammeum Aeetae pecus,
Hostisque subiti tela: cum jussu meo
Terrigena miles mutua caede occidit.
Adice expetita spolia Phrixei arietis,
Somnoque jussum lumina ignoto dare

---

455) *nobiles regum manus*) Florentinus: *nobilem regum manum.* Sed est ab emendatore. Seneca vim expressit illius Euripidei Med. v. 4:

μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
ἀνδρῶν ἀρίστων.

468) *Armifero in arvo*) Nihil opus est Heinsii conjectura *Armiparo.* Claudianus XXI. v. 324. de Spartis verba faciens:

Armifer et viridi floreret milite sulcus.

472) *Somnoque jussum*) Heinsius conjicit *passum.* Sed

Insomne monstrum: traditum fratrem neci;
Et scelere in uno non semel factum scelus;
Jussasque natas fraude deceptas mea,
Secare membra non revicturi senis.
Aliena quaerens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberûm, et certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque praeteritos metus,
Per coelum, et undas, conjugii testes mei,
Miserere: redde supplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythae
Usque a perustis Indiae populis petunt,
Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exsul tuli,

---

jubere potentiam declarat veneficae. Ovidius Rem. Am. v. 253:

Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra.

ubi Burmannum vide.

475) *Jussasque natas*) Heinsius malit *Ausas* pro *Jussas*. At sic locutus est Ovidius Met. VII. v. 331. in hac re:

Intrarunt jussae cum Colchide limina natae.

et similiter Diodorus Siculus IV. 51. *διόπερ τοῦ Πελίου ταῖς θυγατράσι διαῤῥήδην εἰπόντος πάντα πράττειν, ὅσα ἂν ἡ Μήδεια προστάττῃ περὶ τὸ σῶμα τοῦ πατρὸς, τὰς μὲν παρθένους, ἑτοίμους οὔσας τὸ κελευόμενον ἐπιτελεῖν*—.

484) *a perustis Indiae populis petunt*) *agunt* Florentinus, teste Heinsio ad Ov. Trist. IV. 1. 82. Non deterius *petunt*. Ovidius in Ibide v. 20:

Hic praedam medio raptor ab igne petit,

ubi vide Burmannum.

Nisi fratris artus. hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupsi. redde fugienti sua.
IAS. Perimere cum te vellet infestus Creo,
Lacrimis meis evictus, exsilium dedit.
MED. Poenam putabam; munus, ut video, est fuga.
IAS. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.
Gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,
Praestas Creusae. pellicem invisam amoves.
IAS. Medea amores obicit? MED. Et caedem, et dolos.
IAS. Objicere crimen quod potes tandem mihi?
MED. Quodcunque feci. IAS. Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
MED. Tua illa, tua sunt illa. cui prodest scelus,
Is fecit. omnes conjugem infamem arguant;

---

495) *Praestas Creusae*) id est, das, tribuis, gratificaris Creusae. De Benef. V. 19. *qui domum meam, quo minus ruat, fulcit, praestat mihi.* Epist. 4. *Cajus Caesar jussit Lepidum Dextro tribuno praebere cervicem; ipse Chaereae praestitit.*

496) *Medea amores obicit*) Simile est illud Terentii Adelph. II. 1. 33:

leno iniqua me non vult loqui.

501) *Is fecit*) Apud Heliodorum Aethiop. X. p. 514. οἱ χ

Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
IAS. Ingrata vita est, cujus acceptae pudet.
MED. Retinenda non est, cujus acceptae pudet.
IAS. Quin potius ira concitum pectus doma.
Placare natis. MED. Abdico, ejuro, abnuo.
Meis Creusa liberis fratres dabit?
IAS. Reginà natis exsulum, afflictis potens.
MED. Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole foeda misceat prolem inclitam;
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.

ὁ ἀδικήσας, εἶπεν ὁ Θεαγένης, ἀλλ' ὁ τὸ ἀδίκημα ἔχων ἀποδιδόναι δίκαιος.

504) *cujus acceptae pudet*) Seneca de Clement. I. 5. *Vita etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur.* et 25. *Servavit quidem nemo, nisi major eo, quem servavit.*

507) *ejuro*) Verbum Senecae. Consolat. ad Marc. 19. *senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos ejurent, et orbitatem manu faciant.* De Benef. VI. 4. *Quid? non tam duri quidam, et tam scelerati patres sunt, ut illos aversari et ejurare jus fasque sit?* ubi vide Lipsium.

509) *Regina gnatis exsulum, afflictis potens*) Idem apud Euripidem in Medea v. 563:

σπείρας τ' ἀδελφοὺς τοῖσιν ἐκ σέθεν τέκνοις,
εἰς ταὐτὸ θείην, καὶ συναρτήσας γένος,
εὐδαιμονοίην.

IAS. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quaeso. MED. Supplicem audivit Creo.
IAS. Quid facere possim, eloquere. MED. Pro me? vel scelus.
IAS. Hinc rex, et illinc. MED. Est et his major metus,
Medea. nos conflige. certemus; sine,
Sit pretium Iason. IAS. Cedo defessus malis,
Et ipsa casus saepe jam expertos time.
MED. Fortuna semper omnis infra me stetit.

---

517) *nos confligere certemus*) Editio Basileensis anni 1529. *nos conflige. certemus.* et recte. *conflige* pro compara. Sic jam usus est Cicero de Invent. II. 43. *saepe cum scripto factum adversarii confligendo.* Apud eundem Orat. Part. §. 55. *inter se pugnantium rerum conflictio,* et §. 102. *quasi conflictio cum adversario* sunt dicta pro comparatione.

520) *infra me*) Sic Florentinus, monente Heinsio ad Ov. Trist. III. 4. 25. estque melius eo, quod vulgo editur, *intra me.* Claudianus XXXI. v. 80 de Celerino:

Tum purpura primum
Inferior virtute fuit, meruitque repulsam
Obvia majestas. Doluit Fortuna minorem
Se concessa viro.

Velleius II. 35. 2. de Catone: *homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio diis, quam hominibus propior, qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non potuerat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam: omnibus humanis vitiis immunis; semper fortunam in*

IAS. Acastus instat, propior est hostis Creo.
MED. Utrumque profuge. nolo ut in socerum manus
Armes; nec ut te caede cognata inquines,
Medea cogit. innocens mecum fuge.
IAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant?
Creo atque Acastus arma si jungant sua?
MED. His adice Colchos, adjice Aeeten ducem,
Scythas Pelasgis junge. demersos dabo.
IAS. Alta extimesco sceptra. MED. Ne cupias, vide.
IAS. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
MED. Nunc summe toto Juppiter coelo tona.
Intende dextram. vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate;
Nec diligenti tela librentur manu.

---

sua potestate habuit. Eadem Colchidis est causa. Sic enim ipsa v. 159:

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

v. 176:

Fortuna opes auferre, non animum, potest.

v. 242:

Fortuna causam, quae volet, nostram premat.
Non poenitet servasse tot regum decus.

et infra v. 540:

Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest soletque.

quae omnia sapientis dicta sunt, in quem, ut ait Horatius II. Serm. 7. 83.

manca ruit semper fortuna.

Vel me, vel istum: quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit. non potest in nos tuum
Errare fulmen. IAS. Sana meditari incipe,
Et placida fare. si quid ex soceri domo
Potest fugam levare, solamen pete.
MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletque: liberos tantum fugae
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lacrimas profundam. te novi nati manent.
IAS. Parere precibus cupere me, fateor, tuis;
Pietas vetat. namque istud ut possim pati,
Non ipse memet cogat et rex, et socer.
Haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
Curis levamen. spiritu citius queam
Carere, membris, luce. MED. Sic natos amat?
Bene est. tenetur. vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata. liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est et illud. Voce jam extrema peto,

---

535) *Vel me, vel istum*) scilicet *feri*. Hac ellipsi dixit Virgilius Aen. IX. v. 427:

Me, me (adsum qui feci), in me convertite ferrum.

ubi Servius: *Ad Me, me subaudi, interficite; et est interrupta elocutio dolore turbati.* cfr. et Bauer. ad Sanct. Minerv. p. 260.

546) *ipse memet*) Accipio per *μετάβασιν* pro, ipsemet me. Frequens haec figura, vel Ciceroni. vid. Cortium ad XII. Epist. Famil. 16. 1.

53) *Gratum est*) Formula flebile gaudentium, cum tamen

Ne si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: melioris tibi
Memoria nostri subeat. haec irae data
Obliterentur. IAS. Omnia ex animo expuli.
Precorque, et ipsa fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes. miserias lenit quies.
MED. Discessit. itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. hoc age, omnes advoca
Vires et artes. fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. vix fraudi est locus.
Timemur, hac aggredere, qua nemo potest
Quidquam timere. perge. nunc aude, incipe,
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.

---

aliquid est tam saevo in tempore laetum. Stat. Silv. II. 1. 154:

Gratum est, Fata tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus.

Explica: Et hoc tantillum habebo beneficii instar, gaudebo in summo dolore, et mihi id imputari volo.
Gronovius in Diatribe Statiana cap. 16.

556) *Memoria nostri subeat*) *sedeat* in Florentino legi notat Heinsius I. Advers. c. 17. Sed alterum blandius, et sic Livius XL. 8. in oratione Philippi ad filios: *sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. etiam hostes, armis positis, foedus icisse, et privatas multorum simultates finitas: subituram vobis aliquando germanitatis memoriam.*

Tu, fida nutrix, socia moeroris mei,
Variique casus, misera consilia adjuva.
Est palla nobis, munus aetheriae domus,
Decusque regni, pignus Aeetae datum
A Sole generis. est et auro textili
Monile fulgens; quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comae.
Haec nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate. sacra luctifica appara.
Statuantur arae, flamma jam tectis sonet.

CHORUS.

Nulla vis flammae, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti:

---

573) *Monile fulgens; quodque gemmarum nitor)* *Monile*, quo nomine Barthius ad Stat. I. Silv. 2. 128. omnem ornatum corpori appensum comprehendi docuit, hic est, quam *coronam auream* vocat Euripides Med. v. 786, 949 et 961. *gemmas* vero *distinguentes aurum* cape de gemmis auro inclusis, et vide Heynium ad Virg. Aen. I. Exc. XXII.

579) *Nulla vis flammae)* Propertius IV. 8. 55:

Fulminat illa oculis, et, quantum femina, saevit.

Ibid.) *tumidique venti)* Horatius Od. I. 25. 11:

Thracio bacchante magis sub interlunia vento,
Cum tibi flagrans amor et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa jecur ulcerosum.

Quanta, cum conjux viduata taedis
Ardet et odit.

Non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit; properatque torrens
Ister, et junctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.

Non ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos nivibus solutis
Sole jam forti, medioque vere
Tabuit Haemus.

Caecus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet mortem. cupit ire in ipsos
Obvius enses.

Parcite, o Divi. veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.
Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.

Ausus aeternos agitare currus
Immemor metae juvenis paternae,
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.

Constitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori;

---

604) *qua tutum populo priori)* Vir doctus in ora editionis Fabricianae corrigit *tritum*. Scilicet non meminerat

Rumpe nec sacro, violente, sancta
Foedera mundi.

Quisquis audacis tetigit carinae
Nobiles remos, nemorisque sacri
Pelion densa spoliavit umbra:
Quisquis intravit scopulos vagantes,
Et tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,
Raptor externi rediturus auri;
Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.

Exigit poenas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi

ὁδὸν θαῤῥαλεωτάτην εἶναι τὴν συνηθεστάτην, ut ait Lucianus in Demosthenis Encomio c. 22.

605) *sacro, violente, sancta*) Similis tmesis apud Plinium Hist. Nat. VII. 45. *cum resistendi, sacroque sanctum repellendi jus non fuit.*

608) *Nobiles remos*) *nobiles*, ut a regibus ducti. Supra v. 367:

regum referens
Inclita remos quaeritur Argo.

et v. 455:

Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus.

617) *Tiphys in primis domitor profundi*) Ait chorus, expiasse navigationis crimen morte sua Argonautas: Tiphyn, Orphea, Alciden, Hylam, Idmonem, Mopsum; reliqua ad ornatum pertinent. v. 618. *indoctus magister*, cui reliquit Tiphys regimen navis, est Ancaeus; mox v. 622. *amissus rex* est Tiphys, Boeo-

Liquit indocto regimen magistro,
Litore externo procul a paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas jacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.

Ille vocali genitus Camoena,
Cujus ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus jacuit per agros.
At caput tristi fluitavit Hebro.
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non rediturus.

---

tus: cujus recordatione, quod ille in navigatione Argonautarum periit, Aulis quasi cupit retinere Achivorum classem ad Trojam properantem.

Heynius in Obss. ad Apollodori Bibl. I. 9. 23.

631) *At caput tristi fluitavit Hebro*) Recte ita rescriptum pro *Ad caput tractus fluvialis Hebri.* Silius XI. v. 480. de eodem:

tulit ora revulsa
In pontum, ripis utrinque sequentibus, Hebrus.
Tum quoque, cum rapidi caput a cervice recisum
Portarent fluctus, subito emicuere per undas
Ad murmur cete toto exsultantia ponto.

Stravit Alcides Aquilone natos.
Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse post terrae pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Oeta,
Praebuit saevis sua membra flammis,

---

635) *Patre Neptuno genitum*) Periclymenum. vid. Burman. Catalog. Argonautarum h. nom.

636) *Sumere innumeras solitum figuras*) Burmannus ad Propert. IV. 2. 47. *inversas* reponendum arbitratur. *innumeras* enim Sapphici versus legibus repugnare. Sed istam legem, ut secundo loco solus ponatur spondeus, passim in his tragoediis migrari cernas. Oedip. v. 412:

Te caput Tyria cohibere mitra.

et v. 477:

Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.

Troad. v. 836:

An ferax varii lapidis Carystos.

Agam. v. 614:

Ut quondam Herculea cecidit pharetra.

et v. 855:

Audivit sonitum crepitante lamna.

Quae omnia loca corrigere temerarium esset. Commode vero Burmannus comparavit illud Ovidii XII. Met. 557. de eodem:

cui posse figuras
Sumere, quot vellet, rursusque reponere sumtas,
Neptunus dederat.

639) *Vivus ardenti*) Simile est illud Propertii III. 11. 21. de alio:

Ardent victrices, et flammae pectora praebent.

Tabe consumtus gemini cruoris
Munere nuptae.

Stravit Ancaeum violentus ictu
Setiger. fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; morerisque dextra
Matris iratae. meruere cuncti.
Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus,
Raptus heu! tutas puer inter undas?
Ite nunc fortes; perarate pontum
Fonte timendo.

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit. sepi Libycis arenis

---

641) *gemini cruoris*) Hydrae et Nessi centauri, ut recte interpretes. vid. Heynium Obss. ad Apollodor. p. 193.

646) *meruere cuncti*) Priscian. Perieges. v. 603:

Nam mala tam pelagus, quam terra merentibus offert.

647) *quod crimen*) *iratum etiam innocentibus mare*, inquit Petronius c. 81.

648) *irrepertus? Raptus est tutas*) Legendum, et distinguendum, ut jubet liber optimus:

Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus,
Raptus heu! tutas puer inter undas?

Vulgata fabulatore, quam tragico poëta dignior est.

653) *Condidit serpens. Libycis arenis*) Pro *serpens* in Florentino est *sepi*. Distinguendum igitur:

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit. sepi Libycis arenis etc.

Omnibus verax, sibi falsus uni
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si vere cecinit futura,
Exsul erravit Thetidis maritus.

Condidit intellige *pontus* ex v. 650. Eadem figura (*κατάχρησιν* vocant) Statilius Flaccus Epigrammate XII:

Ἕβρου χειμερίοις ἀταλὸς κρυμοῖσι δεθέντος
κοῦρος ὀλισθηροῖς ποσσὶν ἔθραυσε πάγον,
τοῦ παρασυρομένοιο περιῤῥαγὲς αὐχέν' ἔκοψε
θηγαλέον ποταμοῦ Βιστονίοιο τρύφος.
καὶ τὸ μὲν ἡρπάσθη δίναις μέρος· ἡ δὲ τεκοῦσα
λειφθὲν ὕπερθε τάφῳ μοῦνον ἔθηκε κάρα.
μυρομένη δὲ τάλαινα, τέκος, τέκος, εἶπε, τὸ μέν σου
πυρκαϊὴ, τὸ δέ σου πικρὸν ἔθαψεν ὕδωρ.

Seneca pater pag. 468. ed. Bipont. *Omnibus natura sepulturam dedit; naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit.* Apuleius Met. IV. p. 71. *Tum nos magnanimi ducis vigore venerato, corpus reliquum veste linea diligenter convolutum, mari celandum commisimus. Et nunc jacet noster Lamachus elemento toto sepultus.* ubi vide Pricaeum.

657) *Exsul erravit Thetidis maritus*) *erravit, cedit, pependit, impendit* in *errabit, cadet, pendet, impendet* mutavit Gruterus, immemor, vates de futuris tanquam praesentibus et praeteritis loqui. Sic apud Horatium Epod. 13. v. 13. Chiron:

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere; nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

Igne fallaci nociturus Argis
Nauplius praeceps cadit in profundum.
Crimini poenas patrio pependit

Apud Virgilium Aen. VII. v. 98. oraculum Fauni:

Externi veniunt generi.

Ovidius Heroid. V. v. 117. in vaticinio Cassandrae:

Graja juvenca venit.

et Metam. II. v. 646. in alio vaticinio:

animas tibi reddere ademtas
Fas erit, idque semel Dis indignantibus ausus
Posse dare hoc iterum flamma prohiberis avita.

ubi plura Burmannus, quem vide, et Hoogeveenium ad Vigeri libellum de Graecae dictionis Idiotismis pag. 205. ed. Zeun.

660) *Patrioque pendet crimine poenas*) Mss. vel *Patrio pendit*, vel *Patrioque pendit.* Nos Ascensianam editionem secuti, veram lectionem in textu expressimus:

Crimini poenas patrio pependit.

Latinum est, *pendere crimini poenas*, non item *pendere crimine poenas.* Hippolyto v. 937:

sceleribus poenas dabis.

Oedipo v. 937:

Itane tam magnis breves
Poenas sceleribus solvis?

Agamemnone v. 21:

Poenas daturus caelitum dapibus graves.

Herculis Oetaei v. 1471:

Nessusque nunc has exigit poenas sibi.

Octavia v. 631:

quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus.

Ovidius Trist. V. 12. 48:

Sic ego do poenas artibus ipse meis.

patrio, quia, ut ait Euripides in Alcmaeone VII.

Fulmine et ponto moriens Oileus.
Conjugis fatum redimens Pheraei
Uxor impendit animam marito.
Ipse, qui praedam spoliumque jussit
Aureum prima revehi carina,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.
Jam satis, Divi, mare vindicastis.
Parcite jusso.

τὰ τῶν τεκόντων — μετέρχεται θεὸς μιάσματα. et Fragmento CXXXIII. τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους οἱ θεοὶ τρέπουσιν.

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX.

Pavet animus, horret; magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, et semet dolor
Accendit ipse, vimque praeteritam integrat.
Vidi furentem, saepe et aggressam Deos,
Coelum trahentem. majus his, majus parat
Medea monstrum. namque ut attonito gradu

674) *Coelum trahentem*) Quod Seneca *coelum trahere*, Apuleius *deponere coelum* dixit I. Met. p. 6. *Saga, inquit, et divina, potens coelum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, Manes sublimare, Deos infimare, sidera exstinguere, Tartarum ipsum illuminare.* Heinsius malebat *Coelo trahentem.* Apud Ovidium tamen Met. VII. v. 207. Medea:

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant.

Evasit, et penetrale funestum attigit;
Totas opes effudit, et quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum: arcana, secreta, abdita.
Et triste laeva comprecans sacrum manu,
Pestes vocat, quascunque ferventis creat
Arena Libyae, quasque perpetua nive
Taurus coercet frigore Arctoo rigens;
Et omne monstrum. tracta magicis cantibus
Squammifera latebris turba desertis adest.
Heic sera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exsertat, et quaerens, quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestis plicat,

---

677) *Totas opes effudit*) *effundit* legi vult Heinsius, credo, quia sequitur *promit*. Sed enallagen hanc temporum poëtis admodum familiarem esse, ostendit Gronovius ad Hippolyt. v. 510.

680) *comprecans sacrum manu*) id est, manu deos adorans, ut loquitur in Herc. fur. v. 914. Nam qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendit, verbis Macrobii III. Saturn. 2. *sacrum* pro, ara. Lucanus VI. v. 432:

ille supernis
Detestanda Deis saevorum arcana Magorum
Noverat, et tristes sacris feralibus aras.

686) *sera serpens*) *saeva* Florentinus. id quod omnibus in serpentibus dici potest. Plinius enim serpentes *immitissimum animalium genus* vocat Hist. Nat. X.

Cogitque in orbes. parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Coelo petam venena. jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat anguis, cujus immensos duae,
Major minorque, sentiunt nodos ferae;
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor.
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat. adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina.
Et hydra, et omnis redeat Herculea manu
Succisa serpens, caede se reparans sua.

XCVI. *sera serpens*, id est, annosa, ut recte interpretatur Gronov. Apud Lucianum in Philopseude Tychiades de Chaldaeo: *ἐξήλασεν ὅσα ἦν ἑρπετὰ ἐντὸς τῶν ὅρων. ἧκον οὖν ὥσπερ ἑλκόμενοι πρὸς τὴν ἐπῳδὴν ὄφεις πολλοὶ, καὶ ἀσπίδες, καὶ ἔχιδναι, καὶ κεράσται, καὶ ἀκοντίαι, φρῦνοί τε, καὶ φύσαλοι· ἐλείπετο δὲ εἷς δράκων παλαιὸς, ὑπὸ γήρως, οἶμαι, ἐξερπύσαι μὴ δυνάμενος, παρακούσας τοῦ προστάγματος· ὁ δὲ μάγος οὐκ ἔφη παρεῖναι ἅπαντας, ἀλλ' ἕνα τινὰ τῶν ὄφεων τὸν νεώτατον χειροτονήσας, πρεσβευτὴν ἔπεμψεν ἐπὶ τὸν δράκοντα, καὶ μετὰ μικρὸν ἧκε κἀκεῖνος.*

692) *jam nunc*) Particulas has eleganter jungi docet Westerhov. ad Terent. Andr. I. 1. 144. ne cum Gronovio legas *jam jam.*

695) *cujus immensos duae*) Silius III. v. 192:

Quantus aequas perlustrat flexibus Arctos,
Et geminum lapsu sidus circumligat anguis.

Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam evocavit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustae mala:
Quaecunque generat invius saxis Eryx;
Quae fert opertis hieme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Et queis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthi leves;
Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis.
Quodcunque tellus vere nidifico creat,
Aut rigida cum jam bruma decussit decus
Nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu.
Haemonius illas contulit pestes Athos;

---

710) *aut Parthus levis; Et queis sagittas*) Transposui versus, ut jubebat Florentinus. Nam *ferre* de terra, non de gentibus dicitur. Eodem auctore *Parthi leves* rescripsi, ut variaretur oratio.

715) *Bruma decussit decus*) Recte *decussit* repositum pro *discussit*. Herc. Oet. v. 383:

saeva totas Bruma decussit comas.

Virgil. II. Georg. 404:

Frigidus et silvis aquilo decussit honorem.

718) *tortis succus in radicibus*) *tritis* reponebat Heinsius, immemor Ovidiano epitheto dici *tortis*. Met. XI. v. 70:

Quae fecere nefas, torta radice ligavit.

Has Pindus ingens, illa Pangaei jugis
Teneram cruenta falce deposuit comam
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;
Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Baetis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado;
Haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem;
Illius alta nocte succisus frutex;
At hujus ungue secta cantato seges
Mortifera carpit gramina, ac serpentium

---

731) *Mortifera carpit gramina)* Mirari subit, cum jam praecesserint ista v. 717:

Quodcunque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu.

cur denuo subjungat: *Mortifera carpit gramina*, quae ταυτολογία est non ferenda, nec dubito alterutrum locum esse interpolatum, qui et distinctione prava videtur laborare. Forte,

Illius alta nocte succisus frutex;
At hujus ungue secta cantato seges.
Mortifera partim gramina ac serpentium
Saniem exprimit miscetque: at obscaenas aves,
Moestique cor bubonis, et raucae strigis
Exsecta vivae viscera: haec scelerum artifex
Discreta ponit.

ut hoc velit, Medeam expressisse simul succos ex graminibus mortiferis, ac miscuisse cum serpentum sanie: bubonum vero strigumque, et aliarum obscaenarum avium prosecta posuisse discreta.

Heinsius.

Saniem exprimit, miscetque et obscoenas aves;
Moestique cor bubonis, et raucae strigis
Exsecta vivae viscera. haec scelerum artifex
Discreta ponit. his rapax vis ignium,
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. sonuit ecce vesano gradu,
Canitque. mundus vocibus primis tremit.

MEDEA.

Comprecor vulgus silentum, vosque ferales Deos,
Et Chaos caecum, atque opacam Ditis umbrosi domum,

At hoc qui mutat, is etiam mutet necesse est illud Hipp. v. 1033:

pontus in terras ruit.

velut additum ex abundanti, cum sufficeret dixisse v. 1016:

Tumidumque monstro pelagus in terram ruit.

Utramque repetitionem inanem esse, quis neget? Aequo tamen animo ferendam suadent exempla similis negligentiae apud alios poetas occurrentia. Sic Ovidius Trist. I. 2. 14. dicit:

Ipsa graves spargunt ora loquentis aquae.

post idem repetit v. 34:

Dumque loquor, vultus obruit unda meos.

et similiter Virgilius Aen. VIII. cum dixisset v. 671:

Haec inter tumidi late maris ibat imago
Aurea.

Tartari ripis ligatos squallidae Mortis specus,
Suppliciis animae remissis currite ad thalamos novos.
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
Gravior uni poena sedeat conjugis socero mei;
Lubricus per saxa retro Sisyphum solvat lapis.

---

subjicit v. 677:

auroque effulgere fluctus.

Exempla Prosaicorum adtulit Ernestius in Opusc. Philol. et Crit. pag. 131.

746) *Gravis poena sedeat)* Florentinus: *Gravior uni poena sedeat*, quod recte probat Heinsius, itaque explicat, ut uni socero Iasonis, hoc est Creonti, imprecetur omnes simul poenas, quae luuntur a variis apud inferos. Ovidius in Ibide v. 187:

Noxia mille modis lacerabitur umbra; tuasque
Aeacus in poenas ingeniosus erit.
In te transcribet veterum tormenta reorum;
Manibus antiquis causa quietis eris.

747) *Sisyphum volvat)* Scribe cum Gronovio *solvat*, id est, dimittat ab inani labore, ut ipse interpretatur. Thyest. v. 64. Megaera ad Tantalum:

liberum dedimus diem,
Tuamque ad istas solvimus mensas famem.

Apocolocynthosi: *De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret. Erant, qui dicerent — Tantalum siti periturum, nisi illi succurreretur; non unquam Sisyphum onere relevari; aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Non placuit ulli ex veteranis missionem dari, ne vel Claudius unquam simile speraret.* cfr. et Hippolyt. v. 1235.

Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; vestras hic dies quaerit manus.
Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis vinculo solvens comam,
Secreta nudo nemora lustravi pede.
Et evocavi nubibus siccis aquas;
Egique ad imum maria, et Oceanus graves
Interius undas aestibus victis dedit.
Pariterque mundus lege confusa aetheris
Et solem et astra vidit; et vetitum mare
Tetigistis Ursae. temporum flexi vices.
Aestiva tellus floruit cantu meo,

---

754) *nubibus siccis*) *rupibus* malebat Heinsius. Apud Lucanum tamen IV. v. 331:

siccis vultus in nubibus haerent.

quibus et *humentes* Idem opponit *nebulas* VI. v. 468.

755) *Egique ad imum maria*) id est, maria subsidere jussi.

760) *Aestiva tellus floruit*) Marklandus ad Stat. I. Silv. 3. 8. *floruit* et sensu et oppositione absurdum putabat, emendabatque:

Aestiva tellus horruit cantu meo.

ut *hyems* intelligatur, de qua proprium est *horrere.* Sed ita bis idem dicitur. Nam *Ceres videns hibernam messem* est Autumnus in brumam versus. Nihil altero sanius. *Aestiva tellus floruit*, id est, aestas facta est ver. Nam vere tellus floret, aestate contra defloret. Hipp. v. 765:

prata novo vere decentia
Aestatis calidae despoliat vapor.

Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;
Et Ister, in tot ora divisus, truces
Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare
Tacente vento: nemoris antiqui domus

Lucretius V. v. 736:

It Ver et Venus; et Veris praenuntius, ante
Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter
Flora quibus mater praespargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, et odoribus, opplet.
Inde loco sequitur Calor aridus, et comes una
Pulverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit, graditur simul Evius Euan:
Inde aliae Tempestates, Venteique, sequuntur;
Altitonas Volturnus, et Auster fulmine pollens.
Tandem Bruma niveis adfert, pigrumque rigorem
Reddit; Hyems sequitur, crepitans ac dentibus
Alga.

Idem VI. v. 358:

cum tempora se Veris florentia pandunt.

Manilius III. v. 653. de Vere:

Tunc primum miti pelagus consternitur unda,
Et varios audet flores emittere tellus.

Ovidius Met. XV. v. 204:

Omnia tum florent, florumque coloribus almus
Ridet ager.

Plinius Hist. Nat. XVI. XL. *Flos est pleni veris indicium, et anni renascentis.* Hinc Seneca *ver floriferum* vocat Oedip. v. 649. Quintus Smyrnaeus εἶαρ ἀνθεμόεν III. v. 600. Confer in eandem rem Anthol. Lat. T. II. pag. 343 seqq.

766) *nemoris antiqui domus*) In Florentino: *nemoris anti-*

Amisit umbram vocis imperio meae.
Die relicto Phoebus in medio stetit.
Hyadesque nostris cantibus motae labant.
Adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis.
Tibi haec cruenta serta texuntur manu,
Novena quae serpens ligat:
Tibi haec, Typhoeus membra quae discors tulit,
Qui regna concussit Jovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,

---

qui decus domus. Gronovio *nemoris antiqui decus* est silva eximia et antiqua. Mihi *nemoris decus*, ut pro frondibus arborum poëtis frequentatum, *amisit umbram* sensu carere videtur. *nemoris antiqui domus*, ut Herc. fur. v. 239. *nemoris opulenti domos*,

768) *Die relicto Phoebus in medio stetit*) Frustra locum sollicitat Heinsius. Innuit Medea, se lucem Solis intercepisse, cum uterque orbis eodem sub libramento staret. Haec enim dicitur perfecta defectio Solis, ut ostendimus ad Thyest. v. 49. *in medio* puta spatio curriculoque. Sic jam erat in Herc. fur. v. 844:

qua Sol medium tenens.

ubi plura vide.

773) *membra quae discors tulit*) Heinsius ad Sabini Epist. I. v. 35. scribit *dissors*, vultque sic vocatum esse Typhoëum, quod corpori humano pedes anguineos et centum brachia committeret. Sed alterum aeque bene dicitur. Columella VI. 36. 2. de equabus: *discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat.* Lucretius V. v. 892:

Aut, rabidis canibus succinctas, semimarinis
Corporibus Scyllas, et caetera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus.

Quem Nessus exspirans dedit.
Oetaeus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piae sororis, impiae matris facem,
Ultricis Altheae vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciae Stymphalidos,
Lernaea passae spicula.
Sonuistis, arae. tripodas agnosco meos,
Favente commotos Dea.
Video Triviae currus agiles,

---

785) *Sonuistis, arae*) Sic omnes editiones ante Gronovium, qui ex Florentino edidit *Sonuistis ai ai.* Ego vero tam docte et moleste Senecam vix scripsisse puto. Quis autem sonuit? Inferna turba, inquis. At dulcis isthaec exclamatio quam nón tartaream faecem decet! Immo sonuerunt *arae* strepitu motae; quod signum erat faventium deorum. Ovidius Met. IX. v. 781. de ara Isidis:

Visa Dea est movisse suas (et moverat) aras.
Et templi tremuere fores, imitataque Lunam
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.
Non secura quidem, fausto tamen omine laeta
Mater abit templo,

et ibid. XV. v. 671. de ara Aesculapii:

Vix bene desierant, cum cristis aureus altis
In serpente Deus praenuntia sibila misit:
Adventuque suo signumque, arasque foresque
Marmoreumque solum, fastigia aurea movit.

786) *Favente commotos dea*) *commotis* opponuntur *immoti* Lucano V. v. 121.

Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat; sed quos facie
Lurida moesta, cum Thessalicis
Vexata minis, coelum freno
Propiore legit. sic face tristem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent aera Corinthi.
Tibi sanguineo caespite sacrum
Solemne damus. tibi de medio
Rapta sepulcro fax nocturnos
Sustulit ignes. tibi mota caput
Flexa voces cervice dedi.
Tibi funereo de more jacens
Passos cingit vitta capillos.
Tibi jactatur tristis Stygia
Ramus ab unda. tibi nudato
Pectore Maenas sacro feriam
Brachia cultro.
Manet noster sanguis ad aras.
Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.
Sacrum laticem percussa dedi.

---

800) *mota caput*) Jactare caput, fanaticum est, verbis Quinctiliani XI. 3. 71.

803) *cingit vitta*) Lucanus V. v. 144. de Phoebade:

crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.

Quod si nimium saepe vocari
Quereris, votis ignosce, precor.
Causa vocandi, Persei, tuos
Saepius arcus, una atque eadem
Semper, Iason. tu nunc vestes
Tingue Creusae, quas cum primum
Sumserit, imas urat serpens
Flamma medullas. ignis fulvo
Clusus in auro latet obscurus;
Quem mihi, coeli qui furta luit
Viscere foeto, dedit, et docuit
Condere vires arte Prometheus.
Dedit et tenui sulfure tectos
Mulciber ignes. et vivacis
Fulgura flammae de cognato
Phaëthonte tuli. habeo mediae
Dona Chimaerae.
Habeo flammas usto tauri
Gutture raptas; quas permixto
Felle Medusae, tacitum iussi
Servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,
Donisque meis semina flammae
Condita serva. fallant visus,
Tactusque ferant. meet in pectus
Venasque calor. stillent artus,
Ossaque fument; vincatque suas
Flagrante coma nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, et sacros

Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis est omnis. huc natos voca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite nati, matris infaustae genus,
Placate vobis munere et multa prece
Dominam et novercam. vadite, et celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

CHORUS.

Quonam cruenta Maenas
Praeceps amore saevo
Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, et caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur ultro.
Quis credat exsulantem?
Flagrant genae rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante forma
Servat diu colorem.
Huc fert pedes et illuc,
Ut tigris orba natis,

---

860) *vagante forma*) Horatius Od. I. 13. 5:
nec mens mihi, nec color
Certa sede manet.

Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorque caussam
Junxere. quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis arvis
Gressum, metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc, Phoebe, mitte currus
Nullo morante loro.
Nox condat alma lucem.
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS, CHORUS, NUTRIX, MEDEA, IASON.

NUNT. Periere cuncta. concidit regni status.
Nata atque genitor cinere permixto jacent.
CHOR. Qua fraude capti? NUNT. Qua solent reges capi;
Donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?
NUNT. Et ipse miror; vixque jam facto malo
Potuisse fieri credo. CHOR. Quis cladis modus?
NUNT. Avidus per omnem regiae partem furit,
Ut jussus, ignis: jam domus tota occidit,
Urbi timetur. CHOR. Unda flammas opprimat.
NUNT. Et hoc in ista clade mirandum accidit,

886) *Ut jussus*) Non assentiendum Gronovio rescribenti: *furit immissus ignis.* De manu factis enim, quo medicatus ignis pertinet, eleganter Participium *jussus* adhiberi docet Buchnerus ad Plin. Epist. VII. 9. 11.

Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis: ipsa praesidia occupat.
NUTR. Effer citatum sede Pelopeia gradum,
Medea. praeceps quas libet terras pete.
MED. Egon' ut recedam? si profugissem prius,
Ad hoc redirem. nuptias specto novas.
Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Caelebs Iason. quaere poenarum genus
Haud usitatum: jamque sic temet para.
Fas omne cedat. abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt purae manus.
Incumbe in iras; teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocetur. hoc age. et faxo, sciant,
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notae,
Quae commodavi scelera. prolusit dolor
Per ista noster. quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum. crevit ingenium malis.
Juvat, juvat rapuisse fraternum caput.
Artus juvat secuisse, et arcano patrem
Spoliasse sacro. juvat in exitium senis

---

889) *Alit unda flammas*) Tale Medicum oleum, cujus, ut ait Priscianus Perieges. v. 318.

compescere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem pascit in illa.

Armasse natas. quaere materiam, dolor:
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quae perfido
Intendis hosti tela? nescio quid ferox
Decrevit animus intus, et nondum sibi
Audet fateri. stulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit. placuit hoc poenae genus,
Meritoque placuit. ultimum agnosco scelus.
Anime, parandum est. liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus poenas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit. ira discessit loco,
Materque tota conjuge expulsa redit.
Egon' ut meorum liberûm ac prolis meae
Fundam cruorem? melius, ah demens furor!
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas

---

916) *Quo te igitur, ira, mittis?)* Heinsius legendum suspicatur: *Quo te agit ira mitis?* vel, *Quo tegitur ira mitis?* Neutrum est necesse. Cicero pro Milone c. 28. de Clodio: *omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias.*

917) *nescio quid ferox)* Ut apud Ovidium VI. Met. 618. Procne:

magnum, quodcunque paravi.
Quid sit, adhuc dubito.

930) *melius, ah demens furor!)* *melius* scilicet loquere.

A me quoque absit. quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, et majus scelus
Medea mater. occidant: non sunt mei.
Pereant? mei sunt. crimine et culpa carent.
Sunt innocentes. fateor: et frater fuit.
Quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps aestus incertam rapit.
Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt;
Utrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum
Cor fluctuatur. ira pietatem fugat,
Iramque pietas. cede pietati, dolor.
Huc cara proles, unicum afflictae domus
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Conjungite artus. habeat incolumes pater,
Dum et mater habeat. urget exsilium ac fuga.
Jam jam meo rapientur avulsi e sinu,
Flentes, gementes osculis. pereant patri;

Formula abominantis: *εὔφημα φώνει* passim in Graecis; ut Sophocl. Electr. v. 1211.

943) *ira pietatem fugat*) Putes Annaeo ob oculos fuisse vel ipsam Timomachi Medeam, vel Epigrammation illud ex Anthol. Graeca T. III. p. 214. in eandem:

Τέχνη Τιμομάχου στοργὴν καὶ ζῆλον ἔδειξε
Μηδείης, τέκνων εἰς μόρον ἑλκομένων.
τῇ μὲν γὰρ συνένευσεν ἐπὶ ξίφος, ἢ δ' ἀνανεύει,
σώζειν καὶ κτείνειν βουλομένη τέκεα.

950) *gementes. osculis pereant patris; Periere matris*) Florentinus: *gementes oculis pereant patri Periere matri.*

Periere matri. rursus increscit dolor,
Et fervet odium. repetit invitam manum
Antiqua Erinnys. ira, qua ducis, sequor.
Utinam superbae turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisque septenos parens
Natos tulissem! sterilis in poenas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quaerit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello. quem trabe infesta petit
Megaera? cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? frater est. poenas petit.
Dabimus. sed omnes fige luminibus faces:

Lege et distingue: *gementes osculis. pereant patri, Periere matri.* Lucanus IV. v. 180:

> *Arma rigant lacrimis, singultibus oscula rumpunt.*

Ovidius Trist. III. 11. 54:

> *Exhibuit querulos ore gemente sonos.*

Periere matri, ex quo constitutum est, liberos hic mansuros esse, ut bene cepit Gronovius.

959) *flammeos ictus*) Heinsius malebat *rictus;* non ego. Nam respondent inter se *ictus* et *flagello*, sicuti mox *faces* et *trabe*.

961) *ingens anguis*) Gravius hoc ad sensum ac terrorem, quam *igneus anguis*, ut Heinsius malebat.

965) *omnes fige luminibus faces*) Ut apud Virgilium Aen. VII. v. 457. Alecto

> *atro*
> *Lumine fumantes fixit sub pectore taedas.*

Lania, perure. pectus en furiis patet.
Discedere a me, frater, ultrices Deas,
Manesque ad imos ire securas jube:
Mihi me relinque, et utere hac, frater, manu,
Quae strinxit ensem: victima manes tuos
Placemus ista. Quid repens affert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostrae tecta conscendam domus
Caede inchoata. perge tu mecum comes.
Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime. non in occulto tibi est
Perdenda virtus. approba populo manum.
IAS. Quicunque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus. huc, huc, fortis armigeri cohors,
Conferte tela. vertite ex imo domum.
MED. Jam jam recepi sceptra, germanum, patrem;
Spoliumque Colchi pecudis auratae tenent.
Rediere regna. rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina! o festum diem!
O nuptialem! vade. perfectum est scelus;
Vindicta nondum. perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.

---

977) *approba populo manum*) Pari modo loquitur Epist. 99. *Stultius vero nihil est, quam famam captare tristitiae, et lacrimas approbare.* et 102. *ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse approbavit.*

Jam cecidit ira. poenitet facti pudet.
Quid, misera, feci? misera, poeniteat licet,
Feci. voluptas magna me invitam subit:
Et ecce crescit. deerat hoc unum mihi,
Spectator ipse. nil adhuc factum reor.
Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.
IAS. En ipsa tecti parte praecipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. MED. Congere extremum tuis
Natis, Iason, funus, ac tumulum strue.
Conjux socerque justa jam functis habent
A me sepulti. natus hic fatum tulit.
Hic te vidente dabitur exitio pari.
IAS. Per numen omne, perque communes fugas,
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Jam parce nato. si quod est crimen, meum est:
Me dede morti; noxium macta caput.
MED. Hac, qua recusas, qua doles, ferrum
exigam.
I nunc, superbe, virginum thalamos pete.
Relinque matres. IAS. Unus est poenae satis.

---

993) *Spectator ipse*) Canace Nasoniana XI. Heroid. 7:
Ipse necis cuperem nostrae spectator adesset.

1003) *quos non nostra violavit fides*) Creon enim turbator pacis conjugalis, ipsa teste Medea v. 137:
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitrii
Jurisque factus?
et v. 143:
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit.

MED. Si posset una caede satiari manus,
Nullam petisset. ut duos perimam tamen,
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
IAS. Jam perage coeptum facinus, haud ultra precor;
Moramque saltem suppliciis dona meis.
MED. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.
Meus dies est: tempore accepto utimur.
IAS. Infesta memet perime. MED. Misereri jubes.
Bene est, peractum est. plura non habui, dolor,
Quae tibi litarem. lumina huc tumida alleva,
Ingrate Iason. conjugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo. patuit in coelum via.
Squammosa gemini colla serpentes jugo
Summissa praebent. recipe jam natos parens.
Ego inter auras aliti curru vehar.
IAS. Per alta vade spatia sublimi aetheris;
Testare nullos esse, qua veheris, Deos.

1015) *Moramque saltem suppliciis dona)* id est, remitte. Seneca Quaest. Nat. II. extr. *si in tuum exitium tanta vis ignium excutitur, at tu solatii loco numera, tanti esse mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus. Casus iste donat metum.*

AGAMEMNON.

DRAMATIS PERSONAE.

THYESTES.

CLYTAEMNESTRA.

NUTRIX.

AEGISTHUS.

CHORUS ARGIVARUM sive MYCENAEARUM.

ORESTES, muta persona.

AGAMEMNON.

CASSANDRA.

EURYBATES.

ELECTRA.

STROPHIUS.

CHORUS ILIADUM.

PYLADES, muta persona.

ACTUS PRIMUS.

THYESTIS UMBRA.

Opaca linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu,
Incertus utras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
Inhorret animus, et pavor membra excutit:
Video paternos, immo fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiae limen domus.
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis. hoc sedent alti toro,

---

4) *superos fugo*) Quinctilian. Declam. XII. 8. *Quos tester deos? Superosne, quos per tantum nefas fugavimus? An inferos, quos nobis permiscuimus?*

5) *En horret animus*) Optimus liber efficacius: *Inhorret animus*. Similem varietatem notavimus ad Troad. v. 625.

Quibus superba sceptra gestantur manu.
Locus heic habendae curiae: heic epulis locus.
Libet reverti. nonne vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla jactantem jubis?
Ubi ille celeri corpus evinctus rotae
In se refertur; ubi per adversum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor;
Ubi tondet ales avida foecundum jecur;
Et inter undas fervida exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Poenas daturus coelitum dapibus graves.

---

12) *nonne vel tristes lacus Incolere*) *tristes lacus* pro inferis accipe. Sic *Rubiconis*, pro Ravennae vel Arimini, *incola* Claudiano dicitur XLIII. v. 1. ubi vide Burmannum, et ad Grat. Cyneget. v. 314.

13) *nonne custodem St gis*) Defectus est unius verbi, poëtis admodum familiaris. vid. Burman. ad Lucan. I. v. 372.

15) *corpus evinctus rotae*) Florentinus et unus e Palatinis *rota*. Sed vera est vulgata scriptura. Poetis enim Ixion rotae illigatus fingitur. Virgilius, huc alludens, Aen. VI. v. 616:

radiisve rotarum
Districti pendent.

ubi vid. Heyn. *evinctus* dicitur pro simplici, vinctus, ut apud Tibullum I. 7, 6:

evinctos brachia capta duces.

in se refertur, id est, circumagitur. Pindarus Pyth. II. v. 41. de eodem:

ἐν πτερόεντι τροχῷ
παντᾷ κυλινδόμενον.

Sed ille nostrae pars quota est culpae senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus
Quaesitor urna Cnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre vincar. liberis plenus tribus
In me sepultis, viscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna maculavit patrem;
Sed majus aliud ausa commisso scelus,
Natae nefandos petere concubitus jubet.
Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo ut per omnes liberos irem parens,
Coacta fatis nata fert uterum gravem,
Me patre dignum. versa natura est retro.

---

28) *Nec hactenus fortuna*) Bene *fortuna*; quam Plutarchus de Fato VIII. inter *τὰ ἐντὸς τῆς Εἱμαρμένης* refert. Lucianus in Deorum Concilio 13. *εἰδὼς ὅτι, κἂν μυρίας ἑκατόμβας παραστήσῃ, ὅμως τὴν τύχην πράξουσαν τὰ μεμοιραμένα, καὶ ἃ ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῳ ἐπεκλώσθη.*

30) *petere concubitus jubet*) Apposite Lucianus Apolog. pro Merc. Cond. 8. *ἆρά μοι κράτιστον ἐθελοκακήσαντα, καὶ τὰ νῶτα ἐπιστρέψαντα, καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἀρνούμενον ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν; λέγω δὲ τὴν τύχην, καὶ μοῖραν, καὶ εἱμαρμένην· καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιτιμῶντας, εἰδότας, ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς ἐσμὲν κύριοι, ἀλλ' ὑπό τινος κρείττονος, μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀγόμεθα, οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ἀναίτιοι παντάπασιν ὄντες, ἃ ἂν λέγωμεν, ἢ ποιῶμεν;* cfr. et Interpp. ad Menandri Fragmentum XI. p. 203.

Avo parentem, (pro nefas!) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum sortis incertae fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutae mille vexillum rates,
Iliaca velis maria texerunt suis;
Post decima Phoebi lustra devicto Ilio
Adest, daturus conjugi jugulum suae.
Jam jam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Jam scelera prope sunt; jam dolus, caedes, cruor.
Parantur epulae. causa natalis tui,

---

38) *sortis incertae fides*) *sera fides*, quam sero liberavit, exhibuit sors Phoebea. *incerta* propter oraculorum ambiguitatem, unde *Λοξίας* Apollo.

42) *lustra devicto Ilio*) Ex praedicto Calchantis apud Homerum Il. II. v. 329:

τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν.

lustra enim pro annis dicuntur, exemplo Manilii III. v. 321. et 580.

48) *Parantur epulae*) Homerus Od. IV. v. 535:

αὐτίκα δ' Αἴγισθος δολίην ἐφράσσατο τέχνην·
κρινάμενος κατὰ δῆμον ἐείκοσι φῶτας ἀρίστους,
εἷσε λόχον, ἑτέρωθι δ' ἀνώγει δαῖτα πένεσθαι.
αὐτὰρ ὁ βῆ καλέων Ἀγαμέμνονα, ποιμένα λαῶν,
Ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν, ἀεικέα μερμηρίζων.
τὸν δ' οὐκ εἰδότ' ὄλεθρον ἀνήγαγε, καὶ κατέπεφνε
δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Aegisthe, venit. quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? respice ad matrem, decet.
Sed cur repente noctis aestivae vices
Hiberna longa spatia producunt mora?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur. redde jam mundo diem.

CHORUS ARGIVARUM.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in praecipiti
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.
Alia ex alia cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus aequor

Ibid.) *causa natalis tui*) Heinsius emendat *natalis tuus*, et explicat: causa epularum est, quod Aegisthi natalis venit, huc vocans *causa Fortunae favor* ex Troad. v. 269. Sed vulgata bene habet. Aegisthus enim *fatalis in geminam Atrei sobolem*, ut loquitur Hyginus loco, quem integrum dedimus ad Thyest. v. 59.

55) *Aut quid cadentes*) id est, ad occasum vergentes.

62) *Alia ex alia cura fatigat*) Sumsit ab Euripide, apud quem Iphig. in Aulid. v. 645. Agamemnon:

πόλλ᾽ ἀνδρὶ βασιλεῖ καὶ στρατηλάτῃ μέλει.

Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda, nivali
Vicina polo;
Ubi caeruleis immunis aquis,
Lucida versat plaustra Bootes,
Ut praecipites regum casus
Fortuna rotat.
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma recessus
Praebet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora solvit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in praeceps; impia quas non
Arma fatigant? jura, pudorque
Et conjugii sacrata fides,
Fugiunt aulas: sequitur tristis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quaeque superbos urit Erinnys,
Nimias semper comitata domos:
Quas in planum quaelibet hora
Tulit ex alto. licet arma vacent,
Cessentque doli,
Sidunt ipso pondere magna,

---

70) *Bootes, Ut praecipites*) Sic distinxit Bothius. Prava interpunctione prius vulgati: *Bootes. Ut praecipites regum casus Fortuna rotat!*

84) *Nimias semper*) *Nimias,* id est, intolerandae superbiae. vid. Interpp. ad Claudian. XXVI. v. 118.

Ceditque oneri Fortuna suo.
Vela secundis inflata Notis,
Ventos nimium timuere suos.
Nubibus ipsis inserta caput
Turris pluvio vapulat Austro:
Densasque nemus spargens umbras
Annosa videt robora frangi.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis majora patent:
Et cum in pastus armenta vagos
Vilia currant, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius aevum est.
Felix, mediae quisquis turbae
Parte quietus,

---

91) *timuere suos*) *ventos nimium suos*, id est, nimis secundos, ut recte interpretatur Bothius.

92) *Nubibus ipsis inserta caput*) Ob oculos fuit Horatius Od. II. 10. 9:

Saevius ventis agitatur ingens
Pinus: et celsae graviore casu
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulgura montes.

97) *morbis majora patent*) id est, obnoxia, exposita sunt. Florus III. 10. 12. *illa immania corpora, quo erant majora, eo magis gladiis ferroque* p a t u e r u n t. ubi vide Duker.

104) *turbae Sorte quietus*) Omnes ante Lipsium editiones *Parte*, quod mutandum non fuit. *quietus* est modestus, qui non vult excellere supra alios, nullam sibi

Aura stringit litora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

---

potentiam adsciscit, cui opponitur *inquies*, vel *inquietus*. Confer de hac potestate vocis Ruhnken. ad Vellei. II. 117. 2. *mediae turbae parte*, id est, a media turba stans, mediocritatem sequens, amans. Horatius Od. III. 16. 22:

Nil cupientium
Nudus castra peto, et transfuga divitum
Partis linquere gestio,
Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat inpiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

ACTUS SECUNDUS.

CLYTAEMNESTRA, NUTRIX.

CLYT. Quid, segnis anime, tuta consilia expetis?
Quid fluctuaris? clusa jam melior via est.
Licuit pudicos conjugis quondam toros,
Et sceptra casta vidua tutari fide.
Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, et omnem prona nequitiam incita:
Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
Tecum ipsa nunc evolve femineos dolos,

---

108) *tuta consilia expetis)* Apud Tacitum Ann. XI. 26. Messalina: *insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum.*

115) *Per scelera)* Apud eundem Tacitum, loco proxime laudato, Silius: *imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus.* Noster de Clementia I. 13. *Scelera enim sceleribus tuenda sunt; quid autem eo infelicius, cui jam esse malo necesse est?*

Quod ulla conjux perfida, atque impos sui,
Amore caeco; quod novercales manus
Ausae; quod ardens impia virgo face,
Phasiaea fugiens regna Thessalica trabe:
Ferrum, venena. vel Mycenaeas domos,
Conjuncta socio profuge furtiva rate.
Quid timida loqueris furta, et exsilium, et fugas?
Soror ista fecit. te decet majus nefas.
NUTR. Regina Danaûm, et inclitum Ledae genus,
Quid tacita versas? quidve consilii impotens
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio non quit, saepe sanavit mora.
CLYT. Majora cruciant, quam ut moras possim pati.
Flammae medullas et cor exurunt meum.
Mixtus dolori subdidit stimulos timor.
Invidia pulsat pectus. hinc animum jugo
Premit Cupido turpis, et vinci vetat,
Et inter istas mentis obsessae faces,
Fessus quidem, et dejectus, et pessumdatus

---

130) *Quod ratio nequit*) Lege ex Florentino: *non quit.* Pyrrhichium enim haec sedes non recipit.

137) *et dejectus*) Proba lectio. *dejici* proprie victi dicuntur. Ovidius Trist. V. 8. 1:

Non adeo cecidi, quamvis dejectus, ut infra
Te quoque sim.

Pudor rebellat. fluctibus variis agor:
Ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,
Incerta dubitat unda, qui cedat malo.
Proinde omisi regimen e manibus meis.
Quocunque me ira, quo dolor, quo spes feret,
Huc ire pergam. fluctibus dedimus ratem.
Ubi animus errat, optimum est casum sequi.
NUTR. Caeca est temeritas, quae petit casum ducem.
CLYT. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
NUTR. Tuta est, latetque culpa, si pateris, tua.
CLYT. Perlucet omne regiae vitium domus.
NUTR. Piget prioris, et novum crimen struis?
CLYT. Res est profecto stulta, nequitiae modus.
NUTR. Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
CLYT. Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.

Phaedrus II. 1. 3:

Super Juvencum stabat dejectum Leo.

Utroque loco Criticos vide.

138) *Pudor rebellat*) Nam, ut in Euthyphrone Platonis ait Poëta:

ἵνα — δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς

152) *ferrum et ignis*) quibus, monente Burmanno ad Propert. in Add. p. 922., malum penitus insidens et sanas partes noxia contagione trahens exstirpant atque exurunt medici.

NUTR. Extrema primo nemo tentavit loco.
CLYT. Rapienda rebus in malis praeceps via est.
NUTR. At te reflectat conjugii nomen sacrum.
CLYT. Decem per annos vidua respiciam virum?
NUTR. Meminisse debes sobolis ex illo tuae.
CLYT. Equidem et jugales filiae memini faces,
Et generum Achillem. praestitit matri fidem.
NUTR. Redemit illa classis immotae moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
CLYT. Piget doletque! Tyndaris, coeli genus,
Lustrale classi Doricae peperit caput.

---

154) *Rapienda rebus*) *Rapere viam* exemplo dixit Ovidii Heroid. XIX. v. 74:

Tam bona cur periit, nec tibi rapta, via est?

ubi videndus Heinsius.

155) *At te reflectat*) Heinsius malebat: *At te, oro, flectat.* Sed redundaret post obtestandi particulam *oro*. Vulgata confirmatur ex Terent. Adelph. III. 2. 9:

Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia
Repressit, neque reflexit.

161) *fixa languore*) Florentinus *longo*. Mendose.

162) *Pudet, pigetque*) Rectius liber optimus, *Piget doletque.* Nam, ut Herculis in Herc. fur. v. 1180. verba mea faciam,

in tantis malis
Quid est pudendum?

163) *peperit caput*) Gronovius *peperi* vulgavit, Florentinum secutus. Nempe Clytaemnestra de se loquitur. At quanto gravius in tali oratione illud *peperit!* Exempla, quibus de se loquentes tertia persona

Revolvit animus virginis thalamos meae,
Quos ille dignos Pelopia fecit domo,
Cum stetit ad aras ore sacrifico pater,
Quam nuptiales? horruit Calchas suae
Responsa vocis, et recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NUTR. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
CLYT. Non est soluta prospero classis Deo:
Ejecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bello, non melius gerit.
Amore captae captus, immotus prece,
Sminthea tenuit spolia Phoebei ducis,

---

utuntur, passim sunt obvia. Vide, quae collegit Drakenborch. ad Sil. VI. v. 600.

167) *horruit Calchas*) Ut Euripides dicit Iphig. in Aul. v. 89:

Κάλχας δ' ὁ μάντις ἀπορίᾳ κεχρημένος,
ἀνεῖλεν —

171) *vela pariter*) *bella* Cod. Medic., sed male, ut monet Burmannus ad Ov. Met. XII. v. 25.

Ibid.) *mille fecerunt rates*) *mille* pro numero infinito. Sic apud Euripidem in Oreste v. 352. Chorus ad Menelaum:

ὦ χιλιόναυν στρατὸν ὁρμίσας
εἰς γῆν Ἀσίαν.

176) *Phoebei ducis*) *senis* ex Florentino substituit Gronovius, dum, quantus imperator fuerit Chryses, ignorare se ait. Sed *duces* passim a Poëtis dicuntur Heroes et reges, ut multis exemplis ostendit Burmannus ad Ov. Her. XIII. v. 43. et Propert. II. 13. 9.

Ardore sacrae virginis jam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non, populus aeger, et relucentes rogi.
Inter ruentis Graeciae stragem ultimam
Sine hoste victus marcet, ac Veneri vacat,
Reparatque amores: neve desertus foret
A pellice unquam barbara caelebs torus,
Ablatam Achilli diligit Lyrnessida:
Nec rapere puduit e sinu avulsam viri.
En Paridis hostem! nunc novum vulnus gerens
Amore Phrygiae vatis incensus furit:
Et post tropaea Troica, ac versum Ilium,
Captae maritus remeat, et Priami gener.
Accingere, anime: bella non levia apparas:
Scelus occupandum est. pigra, quem exspectas diem?
Pelopia Phrygiae sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduae domi,
Patrique Orestes similis? horum te mala

187) *avulsam viri*) *avulsam*, quod invito abstulisset. Homerus Il. I. v. 430:

τὴν ῥα βίῃ ἀέκοντος ἀπηύρων.

viri, hoc est, mariti. Idem Homerus l. c. v. 348. de eodem:

ἡ δ' ἀέκουσ' ἅμα τοῖσι γυνὴ κίεν.

ubi Eustathius: *γυνὴ ἔμφασιν ἔχον διαθέσεως, ἣν πάσχοι ἂν ἄλοχος ἀποσπωμένη φίλου ἀνδρός.*

Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid misera cessas? en adest natis tuis
Furens noverca. per tuum, si aliter nequit,
Latus exigatur ensis, et perimat duos.
Misce cruorem, perde pereundo virum.
Mors misera non est, commori cum quo velis.
NUTR. Regina, frena temet, et siste impetum,
Et quanta tentes, cogita. victor venit
Asiae ferocis, ultor Europae: trahit
Captiva Pergama, et diu victos Phrygas.

---

199) *per tuum)* Ut de Gobrya Justinus I. 9. *vel per suum corpus adigi mago ferrum jussit.*

202) *commori cum quo velis)* Recte interpretantur: cum illo, quem perire expetis, mori, per Hellenismum, de quo vide Sanct. Minerv. p. 727. ibique Perizonium. Eadem vero sententia legitur in Herc. Oet. v. 350:

Felix jacet, quicunque, quos odit, premit.

206) *et diu victos Phrygas)* Mss. nonnulli cum prima editione *ducit victos.* At male. *diu* pro, diutino bello. Tacitus Germ. c. 37. *tam diu Germania vincitur.* Dictio haec Senecae est admodum familiaris. De Clement. I. 10. *diu mori* dixit pro, lenta morte consumi. Epist. 24. *Tunc ad illam* (horam mortis) *pervenimus, sed diu venimus,* id est, lente. 93. *Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu.* 101. *Quid autem hujus* (vitae) *vivere est? diu mori.* Non dissimiliter apud Statium Theb. III. v. 167:

Ite diu fratres.

hoc est, semper, aeternum fratres, ut Barthius exponit.

Hunc fraude nunc conaris et furto aggredi?
Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum.
Non melior Ajax, morte decreta furens;
Non sola Danais Hector et bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immixtis gerens,
Fluctusque Simois caede purpureos agens;
Non nivea proles Cycnus aequorei Dei;
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx;
Non picta pharetras, et securigera manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, et aras caede maculare impia?
Victrix inultum Graecia hoc facinus feret?
Equos et arma, classibusque horrens fretum
Propone, et alto sanguine exundans solum,
Et tota captae fata Dardaniae domus
Regesta Danais. comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam.

---

207) *et furto*) *fraude* et *furto* conjunxit exemplo Livii XLIII. 10. *obsides, pignus futuros furto et fraude agendae rei.*

211) *Danais Hector*) Virgilius Aen. IX. v. 155:

decumum quos distulit Hector in annum.

220) *Victrix inultum*) *Victrix,* Agamemnone ducente, cujus mortem ulciscetur Graecia, si grata est.

AEGISTHUS, CLYTAEMNESTRA, NUTRIX.

AEGISTH. Quod tempus animo semper ac mente horrui,
Adest profecto rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira saevos fata moliri Deos.
Oppone cunctis vile suppliciis caput,
Ferrumque et ignes pectore adverso excipe.
CLYT. Aegisthe, non est poena sic nato mori.
AEGISTH. Tu nos pericli socia, tu Leda sata
Comitare tantum: sanguinem reddet tibi
Ignavus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,
Jacensque vultus languido obtutu stupet?
CLYT. Amor jugalis vincit, ac flectit retro.
Referamur illuc, unde non decuit prius
Abire: vel nunc casta repetatur fides.
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.

---

233) *sic nato)* in dedecore, flagitio, turpitudine, quae ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor? verbis Ciceronis II. Tusc. Disp. §. 14.

237) *quid trementes)* Alii *trementis.* Vulgatam facile tuetur Virgilii illud Aen. IV. v. 643. de Didone:

maculisque trementes
Interfusa genas.

Quem poenitet peccasse, paene est innocens.
AEGISTH. Quo raperis amens, credis aut speras tibi
Agamemnonis fidele conjugium? ut nihil
Subesset animo, quod graves faceret metus;
Tamen superba et impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Gravis ille sociis stante adhuc Troja fuit.
Quid rere ad animum, suapte natura trucem,
Trojam addidisse? rex Mycenarum fuit.
Veniet tyrannus. prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! sola sed turba eminet,
Tenetque regem famula veridici Dei.
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. ultimum est nuptae malum,
Palam marita possidens pellex domum.

---

243) *paene est innocens*) *Vicinatur innocentiae festinata correctio*, inquit Sidonius Epist. VI. 9.

258) *mariti possidens pellex domum*) Lege cum Florentino: *Palam marita*, id est, marita coram, in conspectu maritae. Dejanira Nasoniana IX. Heroid. 121:

Ante meos oculos adducitur advena pellex.

Terentius Eunuch. IV. 7. 24:

Rogitas? quae mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum!

Idem Heaut. V. 4. 18:

Non mihi per fallacias adducere ante oculos —

Nec insolens est, *palam* cum Ablativo construi. Ovid. Art. Am. II. v. 569:

Marte palam simulat Vulcanum imitata.

Nec regna socium ferre, nec taedae sciunt.
CLYT. Aegisthe, quid me rursus in praeceps rapis,
Iramque flammis jam residentem incitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi:
Nec conjugem hoc respicere, nec dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato in toro.
Quid quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
AEGISTH. Ita est. pacisci mutuam veniam licet.
Ignota tibi sunt jura regnorum aut nova.
Nobis maligni judices, aequi sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si, quidquid aliis non licet, solis licet.
CLYT. Ignovit Helenae. juncta Menelao redit,
Quae Europam et Asiam paribus afflixit malis.

---

ubi vide Criticos. Ad rem Terentius Adelph. IV. 7. 29:

Pro divum fidem!
Meretrix et materfamilias una in domo?

Hec. V. 2. 23:

Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.

259) *Nec regna socium*) Ovidius Art. Am. III. v. 564:
Non bene cum sociis regna Venusque manent.

269) *aut nova*) *aut* pro saltem ponitur, ut saepe. vid. Burman. ad Propert. IV. 1. 77.

AEGISTH. Sed nulla Atridem Venere furtiva abstulit,
Nec cepit animum conjugi obstrictum suae.
Jam crimen ille quaerit, et causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi,
Quid honesta prodest vita, flagitio vacans,
Ubi dominus odit? fit nocens, non quaeritur.
Spartamne repetes spreta, et Eurotam tuum,
Patriasque sedes profuga? non dant exitum
Repudia regum. spe metum falsa levas.
CLYT. Delicta novit nemo, nisi fidus, mea.
AEGISTH. Non intrat unquam regium limen fides.
CLYT. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
AEGISTH. Pretio parata, vincitur pretio fides.
CLYT. Surgit residuus pristinae mentis pudor.
Quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala
Consilia dictas? scilicet nubet tibi,
Regum relicto rege, generosa exsuli?
AEGISTH. Et cur Atrida videor inferior tibi,
Natus Thyestae? CLYT. Si parum est, adde et nepos.
AEGISTH. Auctore Phoebo gignor. haud generis pudet.

---

279) *flagitio vacans*) Gregales libri *carens*, ex interpretatione scilicet. vid. Burman. ad Propert. I. 13. 2.

290) *scilicet nubet tibi*) Vossianus *nubam*. Sed frequens est haec personarum enallage. vid. supr. ad v. 163.

CLYT. Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas,
Quem nocte subita frena revocantem sua
Coelo expulistis? quid Deos probro addimus?
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum scimus illicita virum.
Facesse propere, ac dedecus clarae domus
Asporta ab oculis. haec vacat regia viro.
AEGISTH. Exsilia mihi sunt haud nova. assuevi malis.
Si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror jussu tuo
Aperire ferro pectus aerumnis grave.
CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?
Quae juncta peccat, debet et culpae fidem.

---

297) *quid deos probro advocas?*) Florentinus: *quid deos probro addimus?* eodem, nisi quod exquisitiore sensu: participes probri facimus. Val. Flaccus V. v. 286:
quibus addimur armis?
ubi vide Burmannum.

301) *haec vacat regi ac viro*) Scripti plerique cum primis editionibus: *haec vacat regia viro.* Mordaciter hoc ait. Nam Aegisthus venere tantum illicita vir, vel, ut loquitur Ovidius Art. Am. III. v. 640., furtivus vir. *vacat* eo modo dicitur, ut apud Ciceronem Epist. ad Brut. 17. *Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit?*

302) *assuevi malis*) Plinius Epist. IV. 2. *Mihi — leviora incommoda, quod assuevi.*

Secede mecum potius, ut rerum statum
Dubium ac minacem juncta consilia explicent.

CHORUS ARGIVARUM.

Canite, o pubes inclita, Phoebum.
Tibi festa caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia. tu quoque nostros,
Thebais hospes, comitare choros,
Quaeque Erasini gelidos fontes,
Quaeque Eurotam, quaeque virenti

---

315) *Thebais hospes*) Cum Ismenides mox invitentur, quae Thebanae, Heinsius malit *Oebalis hospes*. Sed accesserim Gronovio, verba *quaeque virenti Tacitum ripa bibis Ismenon* de Boeotis generaliter accipienti. Nam pro Boeotia noster in Herc. fur. v. 334. dixit:

quidquid Ismenos rigat.

et similis redunduntia adfuit in Phoenis. v. 124:

quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus
Serpente notum, sacra quo Dirce latet,
Supplex adoras, quisquis Eurotam bibis,
Spartenque fratre nobilem gemino colis,
Quique Elin et Parnason, et Boeotios
Colonus agros uberis tondes soli etc.

316) *Quaeque Erasini gelidos fontes*) Intelligit Arcades. ut auctor est Strabo l. VIII. p. 371. τὰς ἀρχὰς ἐκ Στυμφάλου τῆς Ἀρκαδίας λαμβάνει, καὶ τῆς ἐκεῖ λίμνης τῆς καλουμένης Στυμφαλίδος. cfr. et Herodot. VI. 76.

Tacitum ripa bibis Ismenon,
Quam fatorum praescia Manto
Sata Tiresia Latonigenas
Monuit sacris celebrare Deos.
Arcus victor pace relata,
Phoebe, relaxa,
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citata vocale chelys.
Nil acre velim,
Magnumque modis intonet altis:
Sed quale soles leviore lyra
Flectere carmen simplex; lusus
Cum docta tuos Musa recenset.
Licet et chorda graviore sones,
Quale canebas, cum Titanas
Fulmine victos videre Dei;
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris. stetit imposita
Pelion Ossa: pinifer ambos
Pressit Olympus.
Ades, o magni soror et conjux,

---

334) *Fulmine victos videre dei)* Alii *Fulmine misso fregere dei,* quod consarcinatum videtur ex verbis Ovidii Met. I. v. 154. de Gigantibus:

pater omnipotens misso perfregit Olympum

Fulmine.

Consors sceptri, regia Juno:
Tua te colimus turba Mycenae:
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis;
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multifora tibia buxo
Solemne canit. tibi fila movent
Docta puellae carmine molli.
Tibi votivam matres Grajae
Lampada jactant. ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata jugo.
Tuque o magni nata Tonantis
Inclita Pallas, quae Dardanias
Saepe petisti cuspide turres:
Te permixto matrona minor
Majorque choro colit, et reserat
Veniente Dea templa sacerdos:
Tibi nexilibus turba coronis
Redimita venit.
Tibi grandaevi lassique senes
Compote voto reddunt grates,

---

349) *tibi fila movent*) id est, nervos ad verba, citharam cum voce movent. Argis enim, ut refert Dionysius Halicarn. I. 21. in templo Junonis fuere χοροί τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ᾠδαῖς πατρίοις.

Libantque manu vina trementi.
Et te Triviam nota memores
Voce precamur. tu maternam
Sistere Delon, Lucina, jubes
Huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis. nunc jam stabilis
Fixa terras radice tenet;
Respuit auras, religatque rates
Assueta sequi. tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum,
Et adhuc lacrimas moesta aeternum

---

374) *Tu Tantalidos*) Heinsius refingit,

Tu Tantalidos
Funera victrix matri annumeras.

et confert illud Statii Theb. IV. v. 528:

In speculis mors atra sedet, dominisque silentes
Annumerat populos.

Sed tuetur vulgatam locus Herc. fur. v. 390:

Riget superbo Tantalis luctu parens.

Auctor in Oedipo v. 613. matrem ipsam fecit *umbras numerantem.* Nonnus autem Dionys. XII. v. 80. de Niobe:

δάκρυσι λαϊνέοισιν ὀδυρομένη στίχα παίδων.

378) *lacrimas marmora fundunt*) In emendatioribus codicibus legitur:

Et adhuc lacrimas moesta aeternum
Marmora manant antiqua novas.

Antitheton, quale Catulli LXVI. v. 64:

Sidus in antiquis Diva novum posuit.

Marmora manant antiqua novas.
Colit impense femina virque
Numen geminum. tuque ante omnes
Pater ac rector, fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli, generis nostri
Juppiter auctor, cape dona libens;
Abavusque tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa laetitiae ferens.
Namque hasta summo lauream ferro gerit:
Fidusque regi semper Eurybates adest.

---

marmora Callimacho debentur, qui Hymno in Apollinem v. 24:

καὶ μὲν ὁ δαρκυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος,
ὅςτις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται,
μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

moesta aeternum in memoriam revocat illud Leonidae Alexandrini XVI. v. 3. de eadem:

λήξει δ' οὐδ' αἰῶνι γόου.

lacrimas denique *manant* habet ab Ovidio, cujus Met. VI. v. 312. de Niobe dicitur:

fixa cacumine montis
Liquitur, et l a c r i m a s e t i a m n u m m a r m o-
r a m a n a n t.

Pro eo Propertius *lacrimas depluere* dixit II. 16. 7.

390) *lauream ferro*) Martialis VII. 5. 6:

Publica victrices testantur gaudia chartae:
Martia laurigera cuspide pila virent.

ACTUS TERTIUS.

EURYBATES, CLYTAEMNESTRA.

EUR. Delubra et aras coelitum, et patrios Lares
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. vota superis solvite:
Telluris altum remeat Argolicae decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLYT. Felix ad aures nuntius venit meas.
Ubinam petitus per decem conjux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EUR. Incolumis, auctus gloria, laude inclitus
Reducem expetito litori impressit pedem.
CLYT. Sacris colamus prosperum tandem diem,
Et si propitios, attamen lentos, Deos.
Tu pande, vivat conjugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EUR. Meliora votis posco, et obtestor Deos.

Nam certa fari sors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides aequore immenso vagus
Graviora pelago damna, quam bello, tulit;
Remeatque victo similis, exiguas trahens
Lacerasque victor classe de tanta rates.
CLYT. Effare, casus quis rates hausit meas?
Aut quae maris fortuna dispulerit duces?
EUR. Acerba fatu poscis. infaustum jubes
Miscere laeto nuntium. refugit loqui
Mens aegra, tantis atque inhorrescit malis.
CLYT. Exprome. clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem. dubia plus torquent mala.

---

408) *classis excepit mare)* Gronovius conjicit *accepit.* Eodem redit alterum. vid. Burman. ad Quinctil. Declam. CCCXXX. extr. et Ernest. Clav. Cic. h. v.

414) *Effare, casus quis rates hausit)* Sic princeps liber. Alii:

Quis, fare, nostras hauserit casus rates?

Hoc vero fluxit ab iis, qui nesciebant, indicativum modum saepissime jungi interrogativis indefinite positis. vide, quae notavimus ad Thyest. v. 771.

415) *Aut quae maris fortuna dispulerit)* Verbum hoc, ab Gronovio sollicitatum, facile tuetur Virgilius Aen. I. v. 512:

ater quos aequore turbo
Dispulerat.

Nec variatio modorum, *hausit* et *dispulerit,* est sine exemplis. vide, quae contulit Burmannus ad Lucan. II. v. 441.

EUR. Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
Divisa praeda est. maria properantes petunt.
Jamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes jacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora est.
Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,
Aurata primas prora designat vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis. unda vix actu levi
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splendetque classe pelagus, et pariter latet.
Juvat videre nuda Trojae litora,
Juvat relicti sola Sigaei loca.
Properat juventus omnis adductos simul
Lentare remos. adjuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant aequora, et latera increpant;
Dirimuntque canae caerulum spumae mare.
Ut aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas. credita est vento ratis:

---

434) *et pariter*) id est, ex aequo, aequaliter. vide Nonium IV. 380.

440) *latera increpant*) Sic jam locutus est Ovidius I. Trist. 4. 24:

Increpuit quantis viribus unda latus!

increpare de gravi ictu et pulsu dictum illustrat Burmannus ad Val. Flac. IV. v. 691.

Fususque transtris miles, aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat: Hectoris fortis minas,
Currusque, et emto redditum corpus rogo:
Sparsum cruore regis Herceum Jovem.
Tunc qui jacente reciprocus ludit salo,
Tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agitatque gyros, et omnes lateri adnatat,
Anteire naves laetus, et rursus sequi.
Nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
Millesimam nunc ambit et lustrat ratem.
Jam litus omne tegitur, et campi latent,
Et dubia parent montis Idaei juga.
Et, id quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo;

---

452) *Agitatque gyros*) Alii legunt *Agitque.* Sed *Agitatque*, si *agitare* est, ut ait Donatus ad Terent. Hec. I. 2. 18., aliquid voluptarium facere, palam confirmat, qui Senecae ob oculos fuit, Pacuvius, aliam tempestatem describens in Duloreste:

piscium lasciviam
Intuerentur, nec tuendi satias capere possiet.

458) *Et jam, quam unum*) *Et, id quod unum* Florentinus. eleganter. Virgilius Ecl. III. v. 35:

Verum, id quod multo tute ipse fatebere magis,
Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina.

Plura dabit Hoogeveenus ad Vigeri libellum de Graec. Dict. Idiotism. pag. 169. ed. Zeun.

In astra jam lux prona, jam praeceps dies.
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phoebi jubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima coelum sparserat stellis. jacent
Deserta vento vela. tum murmur grave
Majora minitans collibus summis cadit,
Tractuque longo litus ac petrae gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet:
Cum subito luna conditur, stellae latent.
In astra pontus tollitur. coelum perit.
Nec una nox est. densa tenebras obruit
Caligo, et omni luce subducta fretum
Coelumque miscet. undique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus infimo eversum solo

---

471) *coelum perit*) Attius in Clytaemnestra:
Deûm regnator nocte caeca coelum e conspectu abstulit,

472) *densa tenebras obruit Caligo*) *Tenebrae conduplicantur* ait, qui Senecae ob oculos fuit, Pacuvius in Duloreste:

Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror:
Flamma inter nubes coruscat, caelum tonitru contremit:
Grando mista imbri largifluo subita turbine praecipitans cadit;
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines,
Fervet aestu pelagus.

Adversus Euro Zephyrus, et Boreae Notus.
Sua quisque mittunt tela, et infesti fretum
Emoliuntur, turbo convolvit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.
Nec manet in Austro; fit gravis nimbis Notus,
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathaea quatiens regna, et Eoos sinus.
Quid rabidus ora Corus Oceano exserens?

---

477) *Sua quisque mittunt tela)* Viri docti, vocem *tela* vexantes, non meminerant loci Papiniani Theb. V. v. 584:

Ipse etiam summa jam tela poposcerat aethra
Jupiter, et dudum nimbi hiemesque coibant,
Ni minor ira deo, gravioraque tela mereri
Servatus Capaneus.

Nonno quoque Dionys. p. 1002. v. 20. Erechtheus ad Boream:

δυσμενέας τόξευε χαλαζήεντι βελέμνῳ.

Idem Nonnus ibid. p. 998. v. 12. Bacchum ventos armantem faciens,

Εὖρον ἀκοντίζοντα καὶ αἰχμάζοντα Βορῆα.

480) *arenas Auster ad Syrtes agit)* Nam, ut ait Sullustius in Iug. c. 78. de Syrtibus, *ubi mare magnum esse, et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt.*

481) *Nec manet)* Immo gradu depulsus udo cedit Noto. Statius Theb. VIII. v. 425:

Stat coeli diversa acies, nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.

484) *Quid rapidus ora Corus)* In Florentino *rabidus* legitur. et recte. Thyest. v. 361:

Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes coelo Deos
Decidere, et atrum rebus induci chaos.
Vento resistit aestus, et ventus retro
Aestum revolvit. non capit sese mare:
Undasque miscent imber et fluctus suas.
Nec hoc levamen denique aerumnis datur,
Videre saltem, et nosse, quo pereant malo.
Premunt tenebrae lumina, et dirae Stygis
Inferna nox est. excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat;
Miserisque lucis tanta dulcedo est malae,
Hoc lumen optant. ipsa se classis premit,
Et prora prorae nocuit, et lateri latus.
Illam dehiscens pontus in praeceps rapit,
Hauritque, et alto redditam removit mare.

---

saevo rabidus freto
Ventosi tumor Adriae.

Ovidius Met. I. v. 36:

freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
Iussit.

Imitator loci nostri Lucanus V. v. 600:

Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo,
Core, movens aestus; jam te tollente furebat
Pontus, et in scopulos totas erexerat iras.

491) *aerumnis datur*) ut Oedip. v. 848:

Huic aliquis a te traditur quondam puer?

492) *Videre saltem*) Apud Homerum Il. XVII. v. 647:

ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ἐπεί νύ τοι εὔαδεν οὕτως.

500) *alto redditam*) id est, imo fundo redditam, ut loquitur Virgilius Aen. V. v. 178.

Haec onere sidit. illa convulsum latus
Summittit undis. fluctus hanc decimus tegit.
Haec lacera, et omni decore populato levis
Fluitat; nec illi vela, nec tonsae manent;
Nec rectus altas malus antennas ferens,
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio et usus audet. ars cessit malis.
Tenet horror artus. omnis officio stupet
Navita relicto. remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor,
Eademque superos Troes et Danai rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Ajaci Ulysses, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo. quisquis ad Trojam jacet,
Felix vocatur, cadere qui meruit gradu,

---

502) *fluctus hanc decimus*) *τρικυμία*, decumani fluctus.

504) *levis Fluitat*) Cicero pro Sextio c. 20. *Cum vero in hanc reipublicae navem, ereptis senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempestatis seditionum ac discordiarum, armatae tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursurae viderentur.*

506) *Sed trunca*) Petron. c. 114. *non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis, aut remus, sed quasi rudis atque infecta materies ibat cum fluctibus.*

507) *ars cessit malis*) Ovidius Trist. I. 2. 32:

Rector in incerto est: nec, quid fugiatve petatve,
Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.

et 4. 11:

Navita, confessus gelido pallore timorem,
Jam sequitur victam, non regit arte, ratem.

515) *cadere qui meruit gradu*) Vetus lectio *manu*, quae

Quem fama servat, victa quem tellus premit.
Nil nobile ausos pontus atque undae ferent?
Ignava fortes fata consument viros?
Perdenda mors est: quisquis es nondum malis
Satiate tantis coelitum, tandem tuum

Schroedero confirmari videbatur ex Virgil. Aen. I. v. 98:

mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?

Sed *felicitatis* plurimum refert, qua cadas manu, nuda an armata, foeminea an forti, aliena an tua; nec qualibet Aeneas dextra, sed Diomedis, fortissimi Danaorum, periisse velit. Unice verum est *gradu.* Seneca Consol. ad Polyb. c. 25. *Omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere; utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.* Idem de Constant. Sap. c. 16. de gladiatoribus fortissimis verba faciens: *quorum alter premit vulnus, et stat in gradu, alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, et intercedi non patitur.*

516) *quem tellus premit*) Ovidius Trist. I. 2. 53:

Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo;
Est mandata suis aliquid sperare sepulcra,
Et non aequoreis piscibus esse cibum.

519) *Perdenda mors est*) *Perdit mortem,* qui inultus moritur et morte sua nec sociis utilitatem, nec hostibus damnum adfert, bene monente Drakenborchio ad Sil. IV. v. 607. Ita et apud Lucanum III. v. 706. naufragis

non perdere letum
Maxima cura fuit.

Numen serena cladibus nostris daret
Vel Troja lacrimas: odia si durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos simul perire nobiscum juvat,
Quibus perimus? sistite infestum mare.
Vehit ista Danaos classis, et Troas vehit.
Nec plura possunt. occupat vocem mare.
Ecce alia clades. fulmine irati Jovis
Armata Pallas, quidquid aut hasta minax,

---

526) *Vehit ista Danaos classis? et Troas vehit*) Interrogationis malum invexit Gronovius, cum antea rectissime distingueretur:

Vehit ista Danaos classis, et Troas vehit.

Intelligenda scilicet a fronte particula *si*, quam saepe omitti, notissimum est. Vide modo Sanct. Minerv. p. 702.

529) *quidquid aut hasta minax*) Comparandus locus Quinti Calabri XIV. v. 462 seqq. de hac eadem re:

αὐτίκα δ' αἰγίδα θοῦριν ἐδύσατο, παμφανόωσαν,
ἄῤῥηκτον, βριαρήν τε, καὶ ἀθανάτοισιν ἀγητήν·
ἐν γάρ οἱ πεπόνητο κάρη βλοσυροῖο Μεδούσης
σμερδαλέον· κρατεροὶ δὲ καὶ ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμὴν
λάβρον ἀποπνείοντες ἔσαν καθύπερθε δράκοντες·
ἔβραχε δ' αἰγὶς ἅπασα περὶ στήθεσσιν ἀνάσσης,
οἷον ὅτε στεροπῇσιν ἐπιβρέμει ἄσπετος αἰθήρ.
λάζετο δ' ἔντεα πατρὸς, ἅπερ θεὸς οὔτις ἀείρει
νόσφι Διὸς μεγάλοιο· τίναξε δὲ μακρὸν Ὄλυμπον·
σὺν δ' ἔχεεν νεφέλας τε καὶ οὔρεα· πᾶσα δ' ὕπερθε
νὺξ ἐχύθη περὶ γαῖαν· ἐπήχλυσεν δὲ θάλασσα·

Aut aegide et furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat; et coelo novae
Spirant procellae. solus invictus malis
Luctatur Ajax. vela cogentem hunc sua
Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen. hoc toto impetu
Certum reducta Pallas excussit manu,
Imitata patrem. transit Ajacem, et ratem,
Ratisque partem secum et Ajacis tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes salo
Ambustus exstat, dirimit insanum mare,
Fluctusque rumpit pectore, et navem manu
Complexus in se traxit, et caeco mari
Collucet Ajax. omne resplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,
Superasse nunc se pelagus, atque ignes: juvat
Vicisse coelum, Palladem, fulmen, mare:

Ζεὺς δὲ μέγ' εἰσορόων, ἐπετέρπετο· κίνυτο δ' εὐρὺς
οὐρανὸς ἀμφὶ πόδεσσι θεῆς· περὶ δ' ἔβραχεν αἰθήρ,
ὡς Διὸς ἀκαμάτοιο ποτὶ κλόνον ἐμμεμαῶτος.

534) *Tenso rudente*) Florentinus et alii *Tento*, ut fere Codices in hoc Participio variant. Sine diversitate tamen Lucanus II. v. 683. de ratibus:

Saepe Noto plenae, tensisque rudentibus actae.

536) *Certum reducta*) *certum* est, quod in aliquam rem libratur et scopo destinatur. *reducta* pro, adducta et retracta. conf. de hac potestate verbi Heinsium ad Ov. Met. VI. v. 107.

Non me fugavit bellici terror Dei;
Et Hectorem una solus et Martem tuli.
Phoebea nec me tela pepulerunt gradu.
Cum Phrygibus istos vicimus. tandem horream
Aliena inerti tela mitti dextera?
Quid si ipse mittat? Plura cum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater

---

550) *tene horream? Aliena inerti tela mittis dextera.*) Omnes ante Lipsium editiones,

tandem horream
Aliena inerti tela mitti dextera?

quod non debuerat mutari. *tandem* indignantis est. Sic apud Terentium in Phorm. II. 1. 1:

Itane *tandem* *uxorem duxit Antipho injussu meo?*

ubi plura Westerhov. *horream tela mitti* pro missum, jactum telorum, infinitivus pro accusativo, ut saepe. vid. Sanct. Minerv. p. 428. *aliena*, non ejus, quae mittit, sed a Jove commodata. Apud Euripidem in Troad. v. 80. Minerva:

καὶ Ζεὺς μὲν ὄμβρον καὶ χάλαζαν ἄσπετον
πέμψει, γνοφώδη τ' αἰθέρος φυσήματα,
ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον,
βάλλειν Ἀχαιοὺς, ναῦς τε πιμπράναι πυρί.

553) *Tridente rupem subruit*) Homerus Odys. IV. v. 505:

τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος·
αὐτίκ' ἔπειτα τρίαιναν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν,
ἤλασε Γυραίην πέτρην, ἀπὸ δ' ἔσχισεν αὐτήν·
καὶ τὸ μὲν αὐτόθι μεῖνε, τὸ δὲ τρύφος ἔμπεσε πόντῳ,
τῷ ῥ' Αἴας τὸ πρῶτον ἐφεζόμενος μέγ' ἀάσθη·
τὸν δ' ἐφόρει κατὰ πόντον ἀπείρονα κυμαίνοντα.

Neptunus, imis exserens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit:
Terraque et igne victus et pelago jacet.
Nos alia major naufragos pestis vocat.
Est humilis unda, scrupeis mendax vadis,
Ubi saxa rapidis clusa verticibus tegit
Fallax Caphareus. aestuat scopulis fretum,
Fervetque semper fluctus alterna vice;
Arx imminet praerupta, quae spectat mare
Utrinque geminum. Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia jungi maria Phrixeis vetat;
Hinc scelere Lemnon nobilem; hinc et Chalcida;
Tardamque ratibus Aulida. hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, et clarum manu
Lumen nefanda vertice e summo efferens,

---

556) *Terraque et igne*) Quintus Calaber XIV. v. 588. de eodem:

ἀμφὶ δέ μιν θανάτοιο μέλας ἐκιχήσατ' ὄλεθρος,
γαίῃ ὁμῶς δμηθέντα, καὶ ἀτρυγέτῳ ἐνὶ πόντῳ.

564) *arcto qui*) Nonnus Dionys. p. 1052. v. 17:

ῥάχις Ἰσθμοῦ
στεινὴ μῆκος ἔχοντος, ὅπῃ διδύμης μέσος ἅλμης,
κύμασιν ἀμφοτέροισιν ἀράσσεται ὄρθιος αὐχήν.

566) *hinc et Chalcida*) Mentionem *Chalcidis* movisse videtur Aeschylus Agam. v. 198:

εὖτ' ἀπλοίᾳ κεναγγεῖ
βαρύνοντ' Ἀχαϊκὸς λεώς,
Χαλκίδος πέραν ἔχων παλιῤῥό-
θοις ἐν Αὐλίδος τόποις.

In saxa duxit perfida classem face.
Haerent acutis rupibus fixae rates.
Has inopis undae brevia comminuunt vada.
Pars vehitur hujus prima, pars scopulo sedet.
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit. jam timent terram rates,
Et maria malunt. cecidit in lucem furor.
Postquam litatum est Ilio, Phoebus redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLYT. Utrumne doleam, laeter an reducem virum?
Remeasse laetor. vulnus at regni grave
Lugere cogor. redde jam Grajis, pater,
Altisona quatiens regna, placatos Deos.

---

576) *Et maria malunt)* Imitatur Lucanus V. v. 453:

Casibus innumeris fixae patuere carinae.
Illinc infestae classes, et inertia tonsis
Aequora moturae; gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare.

quem locum non sollicitasset Burmannus, si meminisset similis IX. v. 331:

Sors melior classi, quae fluctibus incidit altis
Et certo jactata mari.

Crebillon in tragoedia, cui titulus est Idoménée, I. 2:

Et Neptune en courroux, à tant des malheureux
N' offroit pour tout salut que des rochers affreux.

Ibid.) *cecidit in lucem furor)* id est, sub lucem desiit tempestas, ut bene vetus interpres.

Nunc omne laeta fronde veletur caput.
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomtae comas,
Iliades adsunt, quas super celso gradu
Effrena Phoebas entheas laurus quatit.

CHORUS ILIADUM, CASSANDRA.

CHOR. Heu quam dulce malum mortalibus additum,
Vitae dirus amor: cum pateat malis
Effugium, et miseros libera mors vocet,
Portus aeterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunae movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta. nullos civium coetus
Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris:
Non acies feras,
Pulvereamve nubem,

---

588) *Effrena Phoebas*) Tryphiodorus Ilii Excid. v. 354. de eadem:

τοίη μαντιπόλοιο βολῆς ὑπονύγματι κούρη
πλαζομένη κραδίην, ἱερὴν ἀνεσείετο δάφνην.

592) *placidus quiete*) *τὸν ἡσυχίης γενετῆρα* mortem vocat Agathias Epigr. LXXXI. v. 1.

600) *Pulvereamque nubem*) In Florentino legitur *Pulvereamve*. Rectius. vide ad Hippol. v. 655.

Motam barbaricis equitum catervis;
Hostica aut muros populante flamma,
Urbe cum tota populos cadentes:
Indomitumve bellum. perrumpet omne
Servitium contemtor levium Deorum,
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,
Audetque vitae ponere finem.
Par ille regi, par superis erit.
O quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei Thetidisque natus,
Carusque Pelidae nimium feroci

---

605) *omne Servitium*) Recte ita rescriptum pro *Scelus*. Apud Lucianum in Jove confutato 7. Cyniscus: *εἴγε τοὺς μὲν, εἰ μηδὲν ἄλλο, θάνατός γε εἰς ἐλευθερίαν ἀφείλετο· ὑμῖν δὲ εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει τὸ πρᾶγμα, καὶ ἀΐδιος ἡ δουλεία γίγνεται, ὑπὸ μακρῷ τῷ λίνῳ στρεφομένη.* Expressit vero Seneca locum Virgilii Georg. II. v. 490:

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas;
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!

613) *Non illa bello victa*) Color loci ductus ex Virgil. Aen. II. v. 196:

captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Nec anni domuere decem, non mille carinae.

Vicit, acceptis cum fulsit armis,
Fuditque Troas falsus Achilles:
Aut cum ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,
Fortiter vinci. restitit annis
Troja bis quinis,
Unius noctis peritura furto.
Vidimus simulata dona molis immensae;
Danaûmque fatale munus duximus nostra
Creduli dextra: tremuitque saepe
Limine in primo sonipes, cavernis
Conditos reges bellumque gestans:
Et licuit versare dolos, ut ipsi
Fraude sua capti caderent Pelasgi.
Saepe commotae sonuere parmae,
Tacitumque murmur percussit aures;
Et fremuit male subdolo
Parens Pyrrhus Ulyssi.
Secura metus Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc aequaevi gregis Astyanax,
Hinc Haemonio desponsa rogo,
Ducunt turmas: haec femineas,
Ille viriles.
Festae matres votiva ferunt
Munera Divis: festi patres
Adeunt aras. unus tota est
Vultus in urbe.

Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, laeta est Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quidve extremum deflere paras?
Moenia Divûm fabricata manu,
Diruta nostra?
An templa Deos super usta suos?
Non vacat istis lacrimare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, senis in jugulo,
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi.
CASS. Cohibete lacrimas, omne quas tempus petet,
Troades, et ipsae vestra lamentabili
Lugete gemitu funera. aerumnae meae
Socium recusant. cladibus questus meis
Removete. nostris ipsa sufficiam malis.

---

657) *exiguo Sanguine*) Apud Val. Maximum III. 8. 5. Scaevola: *exiguum senilemque sanguinem meum.*

659) *omne quas tempus petit*) *petet* bene Florentinus. id est, desiderabit, postulabit. cfr. de hoc verbo Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 591. Ovidius ex Pont. III. 1. 103:

Utque meae res sunt, omni, puto, tempore flebis.

Cicero in Orat. post Red. in Sen. §. 30. *in hominibus de me divinitus meritis omnis erit aetas mihi ad eorum erga me merita praedicanda atque recolenda.* quam constructionem, á viris doctis notatam, facile tuetur similis Terentii Heaut. I. 2. 33:

atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.

CHOR. Lacrimas lacrimis miscere juvat.
Magis exurunt, quos secretae
Lacerant curae. juvat in medium
Deflere suos. nec tu, quamvis
Dura virago patiensque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quae verno mobile carmen
Ramo cantat tristis aedon,

---

667) *nec enim, quamvis)* Florentinus *nec tu*, quod vim orationis auget. vid. Burman. ad Propert. II. 20. 1.

670) *quae verno nobile carmen)* Florentinus *mobile carmen*. Optime. Seneca Epist. 76. hominem animalibus contendens: *habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque lusciniae?* Homerus Od. XIX. v. 521:

ὡς δ᾽ ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρηῒς ἀηδὼν,
καλὸν ἀείδησιν, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
παῖδ᾽ ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ
κτεῖνε δι᾽ ἀφραδίας, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος.

Oppianus de Piscat. I. v. 728:

καὶ μέν τις φήνης ἀθινὸν γόον ἔκλυεν ἀνὴρ
ὄρθριον ἀμφὶ τέκεσσ᾽, ἢ ἀηδόνος αἰολοφώνου.

Phile de Animal. Propriet. XVIII. de Luscinia:

ἀγχίστροφον γὰρ τὴν βοὴν διαπλέκει,
καὶ γαργαλισμοὺς ὀργανοῖ κεκλασμένους,
ἐκ τῆς ἐν ἀκμῇ τακερᾶς μουσουργίας.

Hermesianax apud Athenaeum XIII. c. 8. de Alcaeo:

ὁ δ᾽ ἀοιδὸς ἀηδόνος ἠράσαθ᾽, ὕμνων
Τήϊον ἀλγύνων ἄνδρα πολυφραδίῃ.

Ityn in varios modulata sonos;
Non quae tectis Bistonos ales
Residens summis impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit digne
Conquesta domum: licet ipse velit
Clarus niveos inter olores
Istrum cygnus Tanaimque colens
Extrema loqui: licet alcyones
Ceyca suum fluctu leviter
Plangente sonent, cum tranquillo
Male confisae credunt iterum
Pelago audaces, foetusque suos
Nido pavidae titubante fovent;

Vocem *carminis* de avium vocibus dici notius est, quam ut moneri debeat.

685) *Nido pavidae*) *inpavidae* legit vir doctus in Miscel. Obss. T. I. p. 75, sed refutatus a Dorvillio, qui „Halcyones" inquit, „quae *male confisae* dicuntur, et *pavidae* dici possunt. Sed obstat, dixeris, vox *audaces*. At eo ipso sunt *audaces*, quia, licet *male confidant mari tranquillo*, licet *pavescant*, *dum concutitur fluctibus nidus*, *tamen foetus suos fovere pergunt audacissimae*, id est, *fortes sine felicitate*, ut saepe apud Virgilium hanc vocem interpretatur Servius. Tum autem maxime queri credibile est Halcyonas, cum nidi fluctuum violentiam maxime experiantur, vel jam ablati sint. Sic Albinovanus Liviam lugentem Halcyonibus raptos a ventis nidos desiderantibus comparat v. 112:

Halcyonum tales ventosa per aequora questus
Ad surdas, tenui voce, sonantur aquas.

Non si molles imitata viros
Tristis laceret brachia tecum,
Quae turritae turba parenti
Pectora rauco concita buxo.

---

ubi, sicut hic, tres quatuorve comparationes adhibentur ad ingentem luctum declarandum; quae displicere, praeter poeticarum elegantiarum rudibus, nemini possunt. Sed locum hunc Senecae vindicare videtur Valerius Flaccus, qui eodem modo Halcyonibus *audaciam pavoremque* tribuit. Locus elegantissimus exstat L. IV. v. 44, ubi Hercules per quietem Hylam videns, ejus amplexum frustra petit, et his avibus comparatur:

Cum sopor, et vano spes moesta resolvitur actu.
Fluctus ab undisono ceu forte crepidine saxi
Cum rapit Halcyones miserae foetumque laremque;
It super aegra parens: queriturque tumentibus undis,
Certa sequi quocunque ferant; audetque pavetque;
Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est:
Illa dolens vocem dedit, et se sustulit alis.

vide ibi locum ex Statii Theb. IX. 360. huc facientem, a P. Burmanno adductum." Tale et illud Statii Theb. VI. v. 394:

Spesque, audaxque una metus, et fiducia pallens.
Nil fixum cordi: pugnant exire, paventque:
Concurrit summos animosum frigus in artus.

688) *turritae turba parenti*) *turritae parenti furit* dictum est, ut apud Catullum LXIII. v. 18:

Hilarate herae citatis erroribus animum.

689) *Pectora rauco concita buxo*) Ovidius in Ibide v. 458:

Furit, ut Phrygium lugeat Attin.
Non est lacrimis, Cassandra, modus,
Quia quae patimur vicere modum.
Sed cur sacratas deripis capiti infulas?
Miseris colendos maxime superos putem.
CASS. Vicere nostra jam metus omnes mala.
Equidem nec ulla coelites placo prece:
Nec, si velint saevire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumsit suas.
Quae patria restat? quis pater? quae jam soror?
Bibere tumuli sanguinem atque arae meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regia miseri senes

Deque viro flas nec femina nec vir, ut Attys,
Et quatias molli tympana rauca manu.

Catullus LXIII. v. 19:

simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora Deae,
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Maenades vi jaciunt hederigerae,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant.

694) *superos reor*) In Florentino est *putem*, et praetuli, tanquam suavius ad aures.

702) *regia miseri senes Vacua relicti*) Commode Bothius comparavit Livium, in descriptione expugnatae a Gallis Romae dicentem, V. 39. *Si arx Capitoliumque, sedes deorum, si senatus, caput publici consilii, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinae urbis, facilem jacturam esse seniorum, relictae in urbe utique periturae turbae.*

Vacua relicti, totque per thalamos vident,
Praeter Lacaenam, ceteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, et regimen Phrygum
Foecunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.
Circa ruinas rabida latravit suas,
Trojae superstes, Hectori, Priamo, sibi.
CHOR. Silet repente Phoebas, et pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittae. mollis horrescit coma.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina; et versi retro
Torquentur oculi. rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditurque celsa. nunc reluctantes parat
Reserare fauces; verba nunc cluso male
Custodit ore, Maenas impatiens Dei.
CASS. Quid me furoris incitam stimulis novi,
Quid mentis inopem sacra Parnassi juga
Rapitis? recede, Phoebe. jam non sum tua.
Exstingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor vesana? cui bacchor furens?
Jam Troja cecidit. falsa quid vates ago?

---

706) *Foecunda in ignes*) Apollodor. III. 12. 5. *ἔδοξεν Ἑκάβη καθ' ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν διάπυρον· τοῦτον δὲ πᾶσαν ἐπινεμέσθαι τὴν πόλιν καὶ καίειν.*

725) *falsa quid vates ago?*) *falsa* vates, *Dei jussu non unquam credita Teucris*, ut ait Virgilius Aen. II. v. 247. Propertius III. 11. 61:

Ubi sum? fugit lux alma, et obscurat genas
Nox alta, et aether abditus tenebris latet.
Sed ecce gemino sole praefulget dies;
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idaea cerno nemora. fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor Deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus.
Agrestis ille alumnus evertet domum.
Quid ista vecors tela feminea manu
Destricta praefert? quem petit dextra virum
Lacaena cultu ferrum Amazonium gerens?
Quae versat oculos alia nunc facies meos?

Certa loquor, sed nulla fides. neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

731) *Inter potentes*) Heinsius conjicit *patentes*, explicatque, nudatas. Sed *potentes* deae sunt, formosae. Propertius II. 4. 28:

Cynthia forma potens.

Ovidius Met. II. v. 416:

nulla potentia longa est.

Eaedem Rufino *θεαὶ αἱ περίβλεπτοι* audiunt Epigr. III. v. 3.

735) *Destricta praefert*) Male *districta* Cod. Trajectinus. vid. Arnzen. ad Panegyr. vett. pag. 500.

736) *cultu ferrum Amazonio gerens*) *Amazonium* constanter libri veteres. et recte. Lycophron v. 1109:

ἐγὼ δὲ δροίτης ἄγχι κείσομαι πέδῳ,
χαλυβδικῷ κνώδοντι συντεθραυσμένη.

Chalybes enim gens Pontica circa Thermodontem. Hinc Ovidius *bipennem Thermodontiacam* pro Amazonia dixit XII. Met. 611.

Victor ferarum colla sublimis jacet
Ignobili sub dente Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leae.
Quid me vocatis sospitem solam e meis,
Umbrae meorum? te sequor, tota pater
Troja sepulte. frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus:
Sed lacera membra, et saucios vinclo gravi
Illos lacertos. te sequor, nimium cito
Congresse Achilli, Troile. incertos geris,
Deiphobe, vultus, conjugis munus novae.
Juvat per ipsos ingredi Stygios lacus;
Juvat videre Tartari saevum canem,
Avidique regna Ditis. haec hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque. vos, Umbrae, precor,
Jurata superis unda, te pariter precor,
Reserate paulum terga nigrantis poli,
Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.
Spectate miseri. fata se vertunt retro.
  Instant sorores squallidae.
Sanguinea jactant verbera.

---

738) *colla vexatus jacet*) Optimus liber *colla sublimis*, id est, supinus. Apud Aeschylum in Agam. v. 1295. Cassandra de Oreste:

ἄξει νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.

758) *fata se vertunt*) Respicit illud Virgilii XI. Aen. 287:

versis lugeret Graecia fatis.

Fert laeva semustas faces,
Turgentque pallentes genae,
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia;
Strepuntque nocturni metus,
Et ossa vasti corporis
Corrupta longinquo situ
Palude limosa jacent.
Et ecce defessus senex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Moestus futuro funere.
Exsultat, et ponit gradus
Pater decoros Dardanus.
CHOR. Jam pervagatus ipse se fregit furor,
Caditque; flexo qualis ante aras genu
Cervice taurus vulnus incertum gerens.
Relevemus artus entheos. tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit;
Et festa conjux obvios illi tulit
Gressus: reditque juncta concordi gradu.

---

763) *vestris atri funeris*) id est, pulla, Furiis propria. Die Furienmaske von Böttiger p. 37.

777) *Cervice taurus vulnus incisa gerens*) In Florentino: *vulnus incertum.* quod Virgilius, qui Senecae ob oculos fuit, planissime confirmat Aen. II. v. 223:

Qualis mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.

ACTUS QUARTUS.

AGAMEMNON, CASSANDRA.

AGAM. Tandem revertor sospes ad patrios lares.
O cara salve terra. tibi tot barbarae
Dedere gentes spolia. tibi felix diu
Potentis Asiae Troja submisit manus.
Quid ista vates corpus effusa, ac tremens
Dubia labat cervice? famuli, attollite.
Refovete gelido latice. jam recipit diem
Marcente visu. suscita sensus tuos.
Optatus ille portus aerumnis adest.
Festus dies est. CASS. Festus et Trojae fuit.
AGAM. Veneremur aras. CASS. Cecidit ante aras pater.
AGAM. Jovem precemur pariter. CASS. Herceum Jovem?
AGAM. Credis videre te Ilium? CASS. Et Priamum simul.

AGAM. Heic Troja non est. CASS. Ubi Helena est, Trojam puto.
AGAM. Ne metue dominam famula. CASS. Libertas adest.
AGAM. Secura vive. CASS. Mors mihi est securitas.
AGAM. Nullum est periclum tibimet. CASS. At magnum tibi est.
AGAM. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet.
AGAM. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,
Retinete, ne quid impotens peccet furor.
At te, pater, qui saeva torques fulmina
Pellisque nubes, sidera et terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Juno, pecore votivo libens
Arabumque donis, supplice et fibra colam.

CHORUS ARGIVARUM.

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratae carum novercae,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem aequasti numerum Deorum:
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi coelo magnus Alcides;
Cui lege mundi Juppiter rupta
Roscidae noctis geminavit horas,

Jussitque Phoebum tardius celeres
Agitare currus, et tuas lente
Remeare bigas, pallida Phoebe;
Retulit pedem, nomen alternis
Stella quae mutat, seque mirata est
Hesperum dici; Aurora movit
Ad solitas vices caput, et relabens
Imposuit senis humero mariti.
Sensit Ortus, sensit Occasus,
Herculem nasci. violentus ille
Nocte non una poterat creari.
Tibi concitatus substitit mundus.
O puer magnum subiture coelum!
Te sensit Nemeaeus arcto

---

823) *Imposuit senis humero mariti*) Florentinus: *Imposuit seni collum marito.* Non male. *relabens*, ipsa scilicet in amplexus mariti. Sic Ovidius Her. XV. v. 95:

Huc ades: inque sinus, formose, relabere nostros.

De conjugali Tithonidis amore classicus est locus Propertii II. 14. 11:

At non Tithoni spernens Aurora senectam,
Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos sedula lavit equos.

Imposuit collum seni, de more puellarum amantium. Ovidius Her. XIII. v. 106:

nox grata puellis:
Quarum suppositus COLLA *lacertus habet.*

826) *Nocte non una*) Ovidius Heroid. IX. v. 9. de eodem:

cui nox (si creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit.

Pressus lacerto fulmineus leo,
Cervaque Parrhasis.
Sensit Arcadii populator agri.
Gemuitque taurus, Dictaea linquens
Horridus arva.
Morte foecundum domuit draconem,
Vetuitque collo pereunte nasci,
Geminosque fratres pectore ab uno
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans: duxitque ad ortus
Hesperium pecus,
Geryonae spolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebrive ripis pavit tyrannus;
Hospitum dirus stabulis cruorem
Praebuit saevis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis aurigae.
Vidit Hippolyte ferox,

---

837) *pectore ab uno*) *pectore* pro, ventre. Apollodor. II 5. 10. de Geryone: *τριῶν ἔχων ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα, συνηγμένον εἰς ἓν κατὰ τὴν γαστέρα, ἐσχισμένον τε εἰς τρεῖς ἀπὸ λαγόνων τε καὶ μηρῶν.*

848) *Vidit Hippolyte*) Apud Quintum Smyrnaeum VI. v. 242. in Eurypyli scuto, res gestas Herculis continente,

θεῶν ἐπιειμένη εἶδος
Ἱππολύτη· καὶ τὴν μὲν ὑπὸ κρατερῇσι χέρεσσι,
δαιδαλέου ζωστῆρος ἀμερσέμεναι μενεαίνων,
εἷλκε κόμης ἵπποιο κατ' ὠκέος.

Pectore in medio rapi spolium: et sagittis
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit coelo,
Arborque pomis fertilis aureis
Extimuit manus insueta carpi,
Fugitque in auras leviore ramo:
Audivit sonitum crepitante lamna
Frigidus custos nescius somni,
Linqueret cum jam nemus omne fulvo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad coelum canis inferorum
Triplici catena, tacuit, nec ullo
Latravit ore, lucis ignotae
Metuens colorem. te duce succidit
Mendax Dardaniae domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce concidit totidem diebus
Troja, quot annis.

---

862) *Metuens colorem*) id est, splendorem, ut interpretatur Mitscherlich. ad Horat. Od. II. 2. 1.

863) *Mendax Dardaniae domus*) *Mendax*, ob Laomedontem. vid. Horat. Od. III. 3. 27. ibique Mitscherlich.

ACTUS QUINTUS.

CASSANDRA.

Res agitur intus magna, par annis decem.
Eheu, quid hoc est? anime, consurge, et cape
Pretium furoris. vicimus victi Phryges.
Bene est! resurgis, Troja. traxisti jacens
Pares Mycenas. terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam providae mentis furor
Ostendit oculis. video, et intersum, et fruor.
Imago visus dubia non fallit meos.
Spectamus. epulae regia instructae domo,
Quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,
Celebrantur. ostro lectus Iliaco nitet;
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt:
Et ipse picta veste sublimis jacet

875) *Spectamus*) id est, rem oculis usurpamus, in rem praesentem venimus, in re praesenti sumus.

Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles jubet,
Induere potius conjugis fidae manu
Textos amictus. horreo, atque animo tremo.
Regemne perimet exsul, et adulter virum?
Venere fata. sanguinem extremae dapes
Domini videbunt, et cruor Baccho incidet.
Mortifera vinctum perfidae tradet neci
Induta vestis. exitum manibus negat,
Caputque laxi et invii cludunt sinus.
Haurit trementi semivir dextra latus,
Nec penitus egit: vulnere in medio stupet.

---

888) *exitum manibus negat*) Ante oculos fuit Lycophron v. 1099:

ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ χύτλα τὰς δυσεξόδους
ζητῶν κελεύθους αὐχενιστῆρος βρόχου,
ἐν ἀμφιβλήστρῳ συντεταργανωμένος
τυφλαῖς ματεύσει χερσὶ κροσσωτοὺς ῥαφάς.

ubi vid Meurs. et Böttiger. Griechische Vasengemälde Heft I. p. 129.

890) *Haurit*) confodit, *ἀμύσσει.*

891) *Nec penitus adigit*) Florentinus *egit*, intellige ferrum. Caeteri Mss. *agit*, repugnante metro. Turbavit librarios Praeteriti cum Praesente conjunctio. Gratius Gyneget. v. 46:

Ipse in materia damnosus candor inerti
Ostendit longe fraudem, atque exterruit hostes.

et iterum v. 417:

Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.

At ille, ut altis hispidus silvis aper,
Cum casse vinctus tentat egressus tamen,
Arctatque motu vincla, et incassum furit:
Cupit fluentes undique et caecos sinus
Dissicere; et hostem quaerit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens,
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, antequam ferro petat;
Sic huc et illuc impiam librat manum.
Habet. peractum est. pendet exigua male
Caput amputatum parte, et hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu jacent.
Nondum recedunt. ille jam exanimem petit,
Laceratque corpus. illa fodientem adjuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, haec Helenae soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,
Suane currat, an Thyestaea via.

ELECTRA, STROPHIUS, ORESTES et PYLADES, mutae personae.

EL. Fuge, o paternae mortis auxilium unicum,
Fuge, et scelestas hostium evita manus.
Eversa domus est funditus. regna occidunt.

Plura Gronovius ad Senec. Hipp. v. 510. et Burmannus ad Claudian. XXII. v. 7.

Hospes quis iste concitos currus agit?
Germane, vultus veste furabor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos times?
Domus timenda est. pone jam trepidos metus,
Oresta. amici fida praesidia intuor.
STROPH. Phocide relicta Strophius, Elea inclitus
Palma revertor. causa veniendi fuit,
Gratari amico, cujus impulsum manu
Cecidit decenni Marte concussum Ilium.
Quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat,
Pavetque moesta? regium agnosco genus.
Electra, fletus causa quae laeta in domo est?
EL. Pater peremtus scelere materno jacet.
Comes paternae quaeritur natus neci.
Aegisthus arces Venere quaesitas tenet.
STROPH. O nulla longi temporis felicitas!
EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios Deos,
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
STROPH. Etsi timendum caesus Agamemnon docet,

---

915) *externos fugis*) In Florentino est *times*, ut voluit Grotius, et postulant sequentia.

932) *Etsi timendum caesus Agamemnon*) Pro *caesus* in Florentino est *quid sit*. Hoc vero fluxit ab iis, qui nesciebant, quoties Participium loco Substantivi poneretur. Exempla sunt apud Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 439.

Aggrediar, et te, Oresta, furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.

---

934) *Poscunt fidem secunda)* Aliter censet Euripides Herc. fur. v. 1339:

θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων.
ἅλις γὰρ ὁ θεὸς ὠφελῶν, ὅταν θέλῃ.

sed cui sic occurrit Plutarchus in: De Adul. et Amic. discr. c. 41. δεῖ μάλιστα παῤῥησιαζομένων τῶν φίλων τοῖς εὐτυχοῦσι, καὶ τὸ ἄγαν ὑφιέντων τοῦ φρονήματος. ὀλίγοι γάρ εἰσιν, οἷς μετὰ τοῦ εὐτυχεῖν παραγίνεται τὸ φρονεῖν. οἱ δὲ πολλοὶ φρενῶν ἐπεισάκτων δέονται, καὶ λογισμῶν πιεζόντων ἔξωθεν αὐτοὺς ὑπὸ τῆς τύχης φυσωμένους καὶ σαλευομένους. Idem Ciceronis judicium fuit in Laelio c. 5. *ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis: nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas.* ibid. c. 6. *Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque, ac tu ipse, gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.* et, paucis interjectis: *et secundas res splendidiores facit amicitia, et adversas patiens communicansque leviores.* quae ipsa Xenophontis verba sunt in Memorab. Socrat. II. 4. 6. de bono amico: εὖ μὲν πράττοντας πλεῖστα εὐφραίνων, σφαλλομένους δὲ πλεῖστα ἐπανορθῶν.

Ibid.) *at adversa exigunt)* id est, probant, ut loquitur Epist. 9. *Florentes amicorum turba circumsidet; circa eversos ingens solitudo est, et inde amici fugiunt, unde probantur.* Plutarchus Lacon. Apophth. XCVI. Ναμέρτης πρεσβευτὴς ἀποσταλεὶς, μακαρίζοντός τινος αὐτὸν τῶν ἐκεῖθι, διότι πολύφιλος εἴη, ἠρώτησεν, εἰ δοκίμιον ἔχει, τίνι τρόπῳ πειράζεται ὁ πολύφιλος· ἐπιζητοῦντος δὲ θατέρου μαθεῖν· Ἀτυχίᾳ, εἶπε.

Cape hoc decorum ludicri certaminis,
Insigne frontis. laeva victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput.
Et ista donum palma Pisaei Jovis
Velamen eadem praestet atque omen tibi.
Tuque o, paternis assidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Graecia nunc teste, veloces equi
Infida cursu fugite praecipiti loca.
EL. Excessit. abiit. currus effreno impetu
Effugit aciem. tuta jam opperiar meos
Hostes, et ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta conjugis victrix sui,
Et signa caedis veste maculata gerit,
Manus recenti sanguine etiamnum madent,

Euripides Hecuba v. 1226:

ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ οἱ ἀγαθοὶ σαφέστατοι
φίλοι. τὰ χρηστὰ δ᾽ αὔθ᾽ ἕκαστ᾽ ἔχει φίλους.

Isocrates Paraenes. p. 11. ed. Wolf. *δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας. τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.* quod suum fecit Ovidius Trist. I. 5. 26:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

949) *sanguine etiamnum madent*) Wakefield. ad Lucret. IV. v. 1044. malebat:

Manus, recenti sanguine etiamnum madens,
Vultusque prae se scelera truculenti ferunt.

Vultusque prae se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras. patere me vittis tuis,
Cassandra, jungi paria metuentem tibi.

CLYTAEMNESTRA, ELECTRA, AEGISTHUS, CASSANDRA.

CLYT. Hostis parentis, impium atque audax caput,
Quo more coetus publicos, virgo, petis?
EL. Adulterorum virgo deserui domum.
CLYT. Quis esse credat virginem? EL. Natam tuam.
CLYT. Modestius cum matre. EL. Pietatem doces.
CLYT. Animos viriles corde tumefacto geris;
Sed agere domita feminam disces malo.
EL. Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.
CLYT. Et esse demens te parem nobis putas?
EL. Nobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?

---

ut *manus* etiam ad *ferunt* redeat, magis una constructione. Sed tumet *prae se ferre* de manibus dictum.

957) *pietatem doces*) Sensus est, interprete Vossio ad Velleii I. 1. 3. Tune me pietatem vis docere, cum adulterio parricidioque te pietatis expertem esse ostenderis?

962) *Nobis? quis iste est alter*) Inconsulte ac temere fecit Gronovius, quod ex duobus Mss. substituit *Vobis*. Cavillatur enim Electra verbum Clytaemnestrae *nobis*, ut Mysidis *Vestri* Davus apud Terentium in Andria IV. 4. 26:

Ut vidua loquere. vir caret vita tuus.
CLYT. Indomita post haec virginis verba impiae
Regina frangam. citius interea mihi
Edissere, ubi sit natus, ubi frater tuus.
EL. Exiit Mycenas. CLYT. Redde nunc na-
tum mihi.
EL. Et tu parentem redde. CLYT. Quo lati-
tat loco?
EL. Tuto; quietus, regna non metuens nova:
Justae parenti satis, at iratae parum.

Cujum puerum hic adposuisti? dic mihi.
MY. Tu nescis? DA. Mitte id, quod scio: dic, quod rogo.
MY. Vestri. DA. Cujus vestri? MY. Pamphili.

vel suum *vestris* Cicero in Orat. de Harusp. Resp. c. 13. *Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat, Sibyllino sacerdoti, haec sacra majores nostros ex vestris libris expetisse? si illi sunt vestri, quos tu impia mente conquiris, violatis oculis legis, contaminatis manibus attrectas.* vel Promethei *κατελεήσατε* Mercurius in Luciani Prometheo 2. *Πρ. ἀλλ' ὑμεῖς γοῦν, ὦ Ἥφαιστε καὶ Ἑρμῆ, κατελεήσατέ με παρὰ τὴν ἀξίαν δυστυχοῦντα. Ἑρ. τοῦτ' ἔφης, ὦ Προμηθεῦ, τὸ κατελεήσατε, ἀντὶ τοῦ ἀνασκολοπισθῆναι αὐτίκα μάλα παρακούσαντας τοῦ ἐπιτάγματος;*

967) *Exiit Mycenas*) Florentinus *Extra Mycenas*. Constructio rarior turbavit librarium. Ovid. Met. X. v. 52:

donec Avernas
Exierit valles.

Plura videbis apud viros doctos ad Ejusdem II. Met. 517. et ad Sil. XI. v. 188.

970) *Justae parenti satis, at iratae parum*) Intellige, *est.*

CLYT. Morieris hodie. EL. Dummodo hac moriar manu;
Recedo ab aris. sive te jugulo juvat
Mersisse ferrum; praebeo jugulum volens:
Seu more pecudum colla resecari placet;
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est: caede respersam viri
Atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue.
CLYT. Consors pericli pariter ac regni mei,
Aegisthe, gradere. nata genitricem impie
Probris lacessit. abditum fratrem occulit.
AEGISTH. Furibunda virgo, vocis infandae sonum,
Et aure verba indigna materna opprime.
EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera natus, nomen ambiguum suis?
Idem sororis natus, et patris nepos?
CLYT. Aegisthe, cessas impium ferro caput
Demetere? fratrem reddat, aut animam statim.
AEGISTH. Abstrusa caeco carcere et saxo exigat
Aevum, per omnes torta poenarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, paedore obruta,

Plene loquitur Seneca pater Controv. I. 2. *Nihil, inquit, passa sum. hoc satis est nupturae, sacerdoti parum.*

991) *paedore obruta)* Sic Florentinus. Vulgo *obsita*, te-

Vidua ante thalamos, exsul, invisa omnibus,
Aethere negato. sero succumbet malis.
EL. Concede mortem. AEGISTH. Si recusares, darem.
Rudis est tyrannus, morte qui poenam exigit.
EL. Mortem aliquid ultra est? AEGISTH. Vita, si cupias mori.
CLYT. Abripite, famuli, monstrum, et avectam procul
Ultra Mycenas, ultimo in regni angulo
Vincite septam nocte tenebrosi specus,
Ut inquietam virginem carcer domet.
At ista poenas capite persolvat suo,
Captiva conjux, regii pellex tori.
Trahite, ut sequatur conjugem ereptum mihi.
CASS. Ne trahite. vestros ipsa praecedam gradus:
Perferre prima nuntium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus eversis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis lueret malis,
Perisse dono feminae, stupro, dolo.
Nihil moramur. rapite. quin grates ago.

---

nuiter, ut recte judicat Wakefieldus, hunc locum comparans ad Lucretii VI. v. 1269:

pellis super ossibus una,
Visceribus tetris prope jam, sordique, sepulta.

Tantum juvat vixisse, post Trojam juvat.
CLYT. Furiosa morere. CASS. Veniet et vobis furor.

1012) *Furibunda morere*) Princeps liber *Furiosa*, quod furere perseveranti convenientius est. *Furiosus* enim, notante Servio ad Virg. Aen. II. v. 407. dicitur is, a quo furor nunquam recedit.

HERCULES OETAEUS.

DRAMATIS PERSONAE.

HERCULES.
HYLLUS.
ALCMENA.
CHORUS AETOLARUM MULIERUM.
NUTRIX.
DEJANIRA.
IOLE.
PHILOCTETES.
CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM.
LICHAS, muta persona.
IOLE et CHORUS OECHALIDUM sunt προτατικὰ πρόσωπα.

ACTUS PRIMUS.

HERCULES.

Sator Deorum, cujus excussum manu
Utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus,
Secure regna: protuli pacem tibi,
Quacunque Nereus porrigi terras vetat.
Non est tonandum. perfidi reges jacent,
Saevi tyranni. fregimus, quidquid fuit
Tibi fulminandum. sed mihi coelum, parens,
Adhuc negatur? parui certe Jove
Ubique dignus: teque testata est meum
Patrem noverca. quid tamen nectis moras?

2) *Utraeque Phoebi*) Orientis et Occidentis. Rutil. Itinerar. II. v. 28:

Diversas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phoebus uterque diem.

Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum coelo Herculem?
Quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi
Certe remisit. omne concessit malum,
Quod terra genuit, pontus, aer, inferi.
Nullus per urbes errat Arcadias leo.
Stymphalis icta est, Maenali nulla est fera.
Sparsit peremtus aureum serpens nemus.
Et hydra vires posuit. et notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges:

---

18) *Sparsit peremptus aureum serpens nemus*) *Stravit* legendum suspicatur Heinsius. Falso. Auditur enim *sanguine*. Nonnus de quodam interfecto: περιῤῥαίνων κονίην, Dionys. p. 772. v. 10. Aeschylus in Agam. v. 1100. Atridarum domum appellat
ἀνδρὸς σφάγιον καὶ πέδον ῥαντήριον.

19) *Et hydra vires posuit*) *vires* in *virus* mutavit Heinsius, immemor Ovidii sui Met. IX. v. 192. ubi idem Hercules:

nec profuit Hydrae
Crescere per damnum, geminasque resumere vires.

Revocare et eum poterat Horatius Od. IV. 4. 61:

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

ubi vide Mitscherlich.

20) *Cruore pingues hostium fudi greges*) *fregi greges* multi Codices, et ipse Florentinus. Receptam vero lectionem tuetur locus Ovidii Met. IX. v. 196. ubi idem Hercules:

Quid? cum Thracas equos, humano sanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris praesepia vidi,

Hostisque traxi spolia Thermodontiae.
Vidi silentum fata; nec tantum redii,
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. nullus Antaeus Libys
Animam resumit. cecidit ante aras suas
Busiris. una est Geryon sparsus manu.
Taurusque populis horridus centum pavor.
Quodcunque tellus genuit infesta, occidit,
Meaque fusum est dextera. iratis Deis
Non licuit esse. si negat mundus feras,
Animum noverca, redde nunc nato patrem,
Vel astra forti. nec peto, ut monstres iter.
Permitte tantum, genitor: inveniam viam.
Vel si times, ne terra concipiat feras;
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, videtque. nam quis invadet mala?
Aut quis per urbes rursus Argolicas erit

Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi?

28) *Quodcunque tellus genuit infesta)* Plerique codices *infestum.* Sed alterum δεινότερον. Silius V. v. 111:

Quas ego tunc animas dextra, quae corpora fudi,
Irata tellure sata, et vix vulnere vitam
Reddentes uno.

ubi Senecam comparavit Drakenborchius.

35) *Properet malum quodcunque)* Simile votum Herculis in Herc. fur. v. 937:

si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet, et si quod parat
Monstrum, meum sit.

Junonis odio dignus? in tutum meas
Laudes redegi. nulla me tellus silet.
Me sensit Ursae frigidum Scythicae genus,
Indusque Phoebo subditus, Cancro Libys.
Te, clare Titan, testor. occurri tibi,
Quacunque fulges. nec meos lux prosequi
Potuit triumphos. Solis excessi vices.
Intraque nostras substitit metas dies.
Natura cessit. terra defecit gradum.

---

39) *Laudes recepi*) Numquando famâ periclitatus est Hercules? Probe Florentinus cum primis editionibus: *in tutum meas Laudes redegi*, quod est, praestiti tutas ab injuria oblivionis, immortalitati meae prospexi. cfr. v. 1576 seqq.

40) *Ursae frigidum Scythicae genus*) Quidam *Scythiae* legunt. Sed intelligendum ex proximo versu *subditum*, ut jam alii monuere. Claudianus VII. v. 474:

Gens, qua non S c y t h i c o s *diffusior ulla* T r i o n e s
Incoluit.

et iterum XX. v. 238:

Pars Phrygiae, S c y t h i c i s *quaecunque* T r i o n i b u s *alget*
Proxima.

45) *Infraque nostras*) Praecedens *excessi* postulat, ut legatur *Intraque.* Curtius IX. 4. *Trahi* e x t r a *side*r a e t *solem, cogique adire, quae mortalium oculis natura subduxerit.* Pro eo Claudianus VII. v. 206. dixit:

superate vapores
Solis.

46) *terra defecit gradum*) Proba lectio *defecit.* Ovidius Met. II. v. 382. de sole:

Laxata prior est nox. et extremum chaos
In me incucurrit. inde ad hunc orbem redii,
Unde omne retro est. tulimus Oceani minas,
Nec ulla valuit quatere tempestas ratem,
Quacunque pressi. pars quota est, quam prosequor?
Jam vacuus aether non potest odio tuae
Sufficere nuptae; quasque devincam feras,

---

qualis, cum d e f i c i t orbem,
Esse solet.
ubi vid. Heins.

47) *Laxata per me nox.*) Florentinus: *Lassata prior est nox.* Scribe: *Laxata prior est nox.* Apud Claudianum I. de Rapt. Proserp. 111. Pluto:

P r i m o r d i a testor
N o c t i s, et horrendae stagna intemerata paludis.

id est, illam Noctem, Erebum, e quo nata omnia, uti Gesnerus accepit. Ovidius IV. ex Pont. 8. 57:

Sic Chaos, ex illa naturae mole p r i o r i s,
Digestum partes scimus habere suas.

48) *In me cucurrit*) *incucurrit* bene Florentinus. id est, irruit.

49) *Unde retro nemo*) Flor. *Unde omne retro est. Omne,* τὸ πᾶν, universum. A qua parte, quicquid est, ab tergo est. Pedo Albinovanus (De navigatione Germanici per Oceanum septentrionalem, init.):

Jam pridem post terga diem, solemque relictum,
Jam pridem notis extorres finibus orbis
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperii metas extremaque litora mundi.

G r o n o v i u s.

Non dubitanter eam lectionem recepimus.

Tellus timet concipere, nec monstra invenit.
Ferae negantur. Hercules monstri loco
Jam coepit esse. quanta nunc fregi mala,
Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit,
Solae manus stravere. nec juvenis feras
Timui, nec infans. quidquid est jussum, leve est.
Nec ulla nobis segnis illuxit dies.
O quanta fudi monstra, quae nullus mihi
Rex imperavit! institit virtus mihi
Junone pejor. sed quid impavidum genus
Fecisse prodest? non habent pacem Dei.
Purgata tellus omnis in coelo videt,
Quodcunque timuit. transtulit Juno feras,
Ambit peremtus Cancer ardentem plagam,
Libyaeque sidus fertur, et messes alit.
Annum fugacem tradit Astraeae leo.

---

59) *leve est*) Heinsius malebat: *quidquid est jussum, subii,* vel *tuli.* Séd nihil muta. Quidquid est jussum, inquit, leve est, prae quod feci nullo jubente, solo virtutis amore ductus. Mox v. 62. Idem:

institit virtus mihi
Junone pejor.

Herc. fur. v. 295. Megara ad Herculem:

Indigna te sunt spolia, si tantum refers,
Quantum imperatum est.

Apud Athenaeum XV. 16. Aristoteles ad Virtutem:

σεῦ θ' ἕνεχ' ὁυκ Διὸς Ἡρακλῆς,
Λήδας τε κοῦροι πόλλ' ἀνέτλασαν,
ἔργοις σὰν ἀγρεύοντες δύναμιν.

69) *Annum fugatae tradit Astraeae Leo*) Praestantiores libri *fugacem.* Et vero districtior circa coelum Her-

At ipse jactans fervidam collo jubam,
Austrum madentem siccat, et nimbos rapit.
Invasit omnis ecce jam coelum fera,
Meque antecessit. victor e terris meos
Specto labores. astra portentis prius
Ferisque Juno tribuit, ut coelum mihi

---

cules, quam cui fugatae terris veniat in mentem Astraeae. Laudavit Gronovius notum illud Horatii (Od. II. 14. 1.):

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni.

70) *At ille jactans*) Optime Florentinus: *At ipse jactans. ipse*, qui familiam ducit, coryphaeus laborum Herculis. Idem Herc. fur. v. 944:

primus en noster labor
Coeli refulget parte non minima leo.

Hyginus Poetic. Astron. XXIV. de Leone: *Hic dicitur a Jove constitutus, quod omnium ferarum princeps esse existimatur: nonnulli etiam hoc amplius dicunt, quod Herculis prima fuerit haec certatio, et quod eum inermis interfecerit.*

Ibid.) *jactans fervidam coelo jubam*) *collo* rectius habet Ascensiana editio. Idem Herc. fur. v. 948. de eodem:

rutilat jubam
Cervice jactans.

71) *et nimbos trahit*) Lege cum Florentino: *et nimbos rapit.* Nam *trahere nimbos* idem est, quod colligere. Ovidius Met. III. v. 299. de Jove:

moestissimus altum
Aethera conscendit, nutuque sequentia traxit
Nubila; quis nimbos, immixtaque fulgura ventis
Addidit.

Atqui contrarium vult Seneca. *nimbos rapit*, id est, humores in vaporem tollit. Ovidius Met. II. v. 237:

Faceret timendum. sparserit mundum licet,
Coelumque terris pejus, ac levius Styge
Irata faciat; dabitur Alcidae locus.
Si post feras, post bella, post Stygium canem,
Nondum astra merui, Siculus Hesperium latus
Tangat Pelorus; una jam tellus erit,
Illinc fugabo maria. si jungi jubes,

Tum facta est Libye, raptis humoribus aestu,
Arida.

Claudianus XLVII. v. 34:

Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos.

76) *sparserit mundum licet*) *Spargendi* verbo utitur ab Ovidio Met. II. v. 193:

Sparsa quoque in vario passim miracula coelo,
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.

Heinsius malebat *spargat his*, credo, ut tempora convenirent. Sed frequens est ista diversorum temporum conjunctio. vid. Gronov. ad Hipp. v. 510.

77) *ac pejus Styge*) Praeclare Florentinus: *ac levius Styge Irata faciat*, hoc est, usque eo dirum ac ferum, ut infra Styga putes, ut prae Styge postputes, ut Styga praeferas coelo. Frequens hoc sensu vox *levis*, docente Burmanno ad Propert. I. 4. 9.

82) *Illinc fugabo maria, si jungi jubes; Committat undas*) Distingue cum Gronovio: *Siculus Hesperium latus Tangat Pelorus; una jam tellus erit, Illinc fugabo maria. si jungi jubes, Committat undas* etc. Duo proponuntur diversa. Jungam, inquit, terras, fugato, quod separat, mari. Claudianus XXVI. v. 221:

Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto,
Si rerum natura sinat, discedere longe

Committat undas Isthmus, et juncto salo
Nova ferantur Atticae puppes via.
Mutetur orbis. vallibus currat novis
Ister, novasque Tanais accipiat vias,
Da, da tuendos, Juppiter, saltem Deos.
Illa licebit fulmen a parte auferas,
Ego quam tuebor: sive glacialem polum,
Seu me tueri fervidam partem jubes,
Hac esse superos parte securos puta.
Cirrhaea Paean templa, et aetheream domum
Serpente caeso meruit. at quoties jacet
Python in hydra? Bacchus et Perseus Deis
Jam se intulere. sed quota est mundi plaga
Oriens subactus? aut quota est Gorgon fera?
Quis astra natus laudibus meruit suis
Ex te et noverca? quem tuli, mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculei Licha,
Perfer triumphos, Euryti victos lares,

Optet, et Ionium refugo laxare Peloro.
vel, si jubes, maria jungam, quae separat terra. Noster Med. v. 36:

Gemino Corinthos litori opponens moras
Cremata flammis maria committat duo,

Lucanus I. v. 100:

Qualiter undas
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare —

100) *Praefer triumphos*) Florentinus cum Vossiano *Perfer.* et sequor. Ovidius Trist. III. 12. 45:

Stratumque regnum: vos pecus rapite ocius,
Qua templa tollens ara Cenaei Jovis
Austro timendum spectat Euboicum mare.

CHORUS OECHALIARUM VIRGINUM, IOLE.

CHOR. Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit. mortis habet vices,
Lente cum trahitur vita gementibus.
Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit fluminis ultimi,
Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompae veniet nobile ferculum.
Nunquam est ille miser, cui facile est mori.
Illum si medio decipiat ratis

Is precor auditos possit *narrare* *triumphos Caesaris.*

ibid. IV. 2. 71:

Is quoque jam serum *referet* *veteremque triumphum.*

105) *Et fortuna fuit*) *fuit* eleganter pro, desiit. Exempla sunt apud Heinsium ad Ov. Art. Am. III. v. 113.

110) *Nec pompae veniet nobile ferculum*) Seneca de Vit. Beat. 25. *in alienum imponas ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam.*

112) *Illum si medio decipiat ratis Ponto*) *decipiat* eleganter pro, destituat. quam verbi notionem explicant Pricaeus ad Apuleii Met. p. 447. et Burmannus ad Petron. c. 115. Ovid. Met. V. v. 147. et alias saepe.

Ponto, cum Boream expulit Africus,
Aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
Non puppis lacerae fragmina colligit,
Ut litus medio speret in aequore.
Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.
Nos turpis macies, et lacrimae tenent,
Et crinis patrio pulvere sordidus.
Nos non flamma rapax, non fragor obruit.
Felices sequeris, Mors, miseros fugis.
Stamus: nunc patriae messibus heu locus
Et silvis dabitur. lapsaque sordidae
Fient templa casae. jam gelidus Dolops
Hac ducet pecudes, qua tepet obrutus,

---

123) *Stamus: nec patriae moenibus, heu locus At silvis dabitur*) Scriptorum nonnulli *nunc* pro *nec*. Optimus autem liber *patriis messibus*. Legendum igitur:

Stamus: nunc patriae messibus heu locus
Et silvis dabitur.

Stamus, inquit, superstites patriae, cujus heu locus nunc messibus et silvis dabitur, hoc est, in arvum et silvam convertetur. Manilius IV. v. 558:

sternet positas urbes; inque arva reducat
Oppida, et in domibus maturas reddet aristas.

patriae locus confirmatur ex v. 132:

Quaeretur, patriae quis fuerit locus.

stamus, ut apud Ciceronem Epist. ad Attic. IX. 12. *Populi Romani exercitus Cn. Pompejum circumsidet, fossa et vallo septum tenet; fuga prohibet; nos vivimus, et stat urbs ista?*

6) *qua tepet obrutus*) *obruere cinerem* dicit phrasi Nasoniana. II. ex Pont. 2. 62:

Stratae qui superest Oechaliae, cinis.
Illo Thessalicus pastor in oppido
Indocta referens carmina fistula,
Cantu nostra canet tempora flebili.
Et dum pauca Deus secula contrahet,
Quaeretur, patriae quis fuerit locus.
Felix incolui non steriles focos,
Nec jejuna soli jugera Thessali.
Ad Trachina vocor, saxa rigentia,
Et dumeta jugis horrida torridis,
Vix gratum pecori montivago nemus.
At si quas melior sors famulas vocat,
Illas aut volucer transferet Inachus;
Aut Dircaea colent moenia, qua fugit
Ismenos tenui flumine languidus.
Heic mater tumidi nupserat Herculis.
Quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te praeruptus Athos, te fera Caspias,
Quae virgata tibi praebuit ubera?

Posse velim cineres obruere ipsa meos.

131) *dum pauca Deus saecula contrahit*) Florentinus *contrahet*. Melius, ut monet Gronovius.

140) *qua fluit Ismenos*) Florentinus, ut quondam vulgabatur: *qua fugit*, id est, currit, labitur, it. Praeter Gronov. ad h. l. vide Burman. ad Val. Flac. III. v. 584.

145) *te fera Caspia*) *Caspias* Florentinus, et exemplis tuetur Heinsius ad Ov. Her. XV. v. 164.

Falsa est de geminis fabula noctibus,
Aether cum tenuit sidera longius,
Commisitque vices Lucifer Hespero,
Et solem vetuit Delia tardior.
Nullis vulneribus pervia membra sunt.
Ferrum sentit hebes; lentior est chalybs.
In nudo gladius corpore frangitur,
Et saxum resilit, fataque negligit,
Et mortem indomito corpore provocat.
Non illum poterant figere cuspides,
Non arcus Scythica tensus arundine,
Non quae tela gerit Sarmata frigidus;
Aut qui soliferae suppositus plagae
Vicino Nabathae vulnera dirigit
Parthus Cnossiacis certior ictibus.
Muros Oechaliae corpore propulit.
Nil obstare valet. vincere quod parat,
Jam victum est. quota pars vulnere concidit?
Pro fato patuit vultus iniquior,
Et vidisse sat est Herculeas minas.
Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges,
Supra Thessalicos constitit aggeres,

---

165) *Pro fato patuit)* hoc est, ut interpretatur Gronovius, pro fato fuit. Sic *os ira patens* dicitur Val. Maximo III. Ext. 4.

168) *Supra Thessalicos cum stetit aggeres)* Florentinus *Thessalicum aggerem*, quod a correctore fluxit. Seneca enim per *Thessalicos aggeres* intelligit montes Thessaliae congestos. Pariter Gratio Gigantes dicun-

Ut coelo insereret vipereas manus,
Hoc vultu riguit? commoda cladibus
Magnis magna patent. nil superest mali.
Iratum miserae vidimus Herculem.
IOLE. At ego infelix, non templa suis
Collapsa Deis, sparsosve focos,
Natis mixtos arsisse patres,
Hominique Deos, templa sepulcris;
Nullum querimur commune malum.
Alio nostras Fortuna vocat
Lacrimas. alias flere ruinas
Mea fata jubent. Quae prima querar?
Quae summa gemam? pariter cuncta
Deflere juvat. nec plura dedit

---

tur *coelum* *aggeribus tentare superbis ausi*, Cyneg. v. 63. ubi conf. Wernsdorf. et ad Severi Aetnam v. 48.

174) *Collapsa deis*) Heinsius malebat *Illapsa*. Sed *collapsa deis templa* sunt, quae in deos vel super deos procubuere. Ita apud Statium Achil. I. v. 195:

saxo collabitur ingens
Centaurus.

180) *Quae prima querar?*) Ut apud Virgilium Aen. IV. v. 677:

Quid primum deserta querar?

ubi Servius: *Quid prius, quid posterius dicimus, ubi omnia et paria et magna sunt.*

182) *Deflere juvat. nec plura dedit*) Nihil deest. *nec* enim ponitur pro, sed non, ut in hoc Virgilii Georg. II. v. 96:

nec cellis ideo contende Falernis.

Pectora tellus, ut digna sonent
Verbera fatis. me vel Sipylum
Flebile saxum fingite, superi,
Vel in Eridani ponite ripis,
Ubi moesta sonat Phaethontiadum
Silva sororum. me vel Siculis
Addite saxis, ubi fata gemam
Thessala Siren: vel in Edonas
Tollite silvas; qualis natum
Daulias ales solet Ismaria
Flere sub umbra. formam lacrimis

---

et apud Ciceronem Topic. §. 10. *Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. n e q u e est ulla earum rerum.*

184) *me vel Sipyli*) Melius in Florentino legitur: *me vel Sipylum Flebile saxum fingite.* Theodoridas Epigram. VII. in statuam Niobae v. 6:

ἁ δὲ λίθῳ καὶ σαρκὶ μεμιγμένον εἶδος ἔχουσα
πετροῦται· στενάχει δ' ὑψιπαγὴς Σίπυλος.

Lucianus Imag. I. *σὺ γὰρ ὑπὸ τῶν μειρακίων καὶ πάνυ ῥᾳδίως αὐτὸ πάσχεις· ὥστε θᾶττον ἄν τις ὅλον τὸν Σίπυλον μετακινήσειεν, ἢ σὲ τῶν καλῶν ἀπάγοι, μὴ οὐχὶ παρεστάναι αὐτοῖς κεχηνότα, καὶ ἐπιδακρύοντά γε πολλάκις, ὥσπερ ἐκείνην αὐτὴν τὴν τοῦ Ταντάλου.*

189) *ubi fata gemit Thessala Siren*) Florentinus *gemam,* quod pulchre convenit Siculis additae saxis, atque adeo sociae Sirenum, illa saxa colentium. Verbi *addere* elegantiam illustravit Burmannus ad Val. Flac. V. v. 286.

Aptate meis, resonetque malis
Aspera Trachin. Cypria lacrimas
Myrrha tuetur: raptum conjux
Ceyca gemit. sibi Tantalis est
Facta superstes. fugit vultus
Philomela suos, natumque sonat
Flebilis Atthis. cur mea nondum
Capiunt volucres brachia plumas?
Felix, felix, cum silva domus
Nostra feretur, patrioque sedens
Ales in agro referam querulo
Murmure casus: volucremque Iolen
Fama loquetur. vidi, vidi
Miseranda mei fata parentis.
Cum letifero stipite pulsus,
Tota jacuit sparsus in aula.
Prô, si tumulum fata dedissent,
Quoties genitor quaerendus eras!
Potuine tuam spectare necem,
Nondum teneras vestite genas,
Necdum forti sanguine Toxeu?
Quid vestra querar fata, parentes,
Quos in tutum mors aequa tulit?
Mea me lacrimas fortuna rogat.
Jam jam dominae captiva colos
Fusosque legam: prô, saeve decor,
Formaque mortem paritura mihi:
Tibi cuncta domus concidit uni,
Dum me genitor negat Alcidae,
Atque Herculeus socer esse timet.

Sed jam dominae tecta petantur.
CHOR. Quid regna tui clara parentis,
Proavosque tuos respicis amens?
Fugiat vultus fortuna prior.
Felix, quisquis novit famulum
Regemque pati, vultusque suos
Variare potest. vires pepulit
Pondusque mali, casus animo
Qui tulit aequo.

---

227) *Fugiat vultus fortuna prior*) Heinsius malebat *cultus*. At frustra. Nam infra v. 360. ejusdem Ioles *nudus auro crinis et gemma jacere* dicitur, contra quam id firmat Ovidius Heroid. IX. v. 125:

Nec venit incultis, captarum more, capillis.

Huic autem commonitioni similis est in Ciceronis Epist. ad Attic. XI. 24. *Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi. Fortuna prior,* quae *fortuna majestatis prioris* audit Justino XIV. 6.

229) *quisquis novit famulum Regemque pati*) Id est, qui sic se temporibus potest accommodare, ut nunc Regis, nunc famuli partes bene sustineat. Apud Curtium IV. 1. Alexander ab Abdolominum: *libet scire, inopiam qua patientia tuleris? Tum ille, utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim.* Nam, ut ait Ovidius II. Art. Am. 437:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.

ACTUS SECUNDUS.

NUTRIX, DEJANIRA, LICHAS, muta persona.

NUTR. O quam cruentus feminas stimulat dolor,
Cum patuit una pellici et nuptae domus!
Scylla, et Charybdis Sicula contorquens freta
Minus est timenda. nulla non melior fera est.
Namque ut reluxit pellicis captae decus,
Et fulsit Iole, qualis innubis dies,
Purisve clarum noctibus sidus micat:
Stetit furenti similis, ac torvum intuens
Herculea conjux: foeta ut Armenia jacens
Sub rupe tigris, hoste conspecto exsilit:

---

239) *Purumve claris noctibus sidus micat*) Florentinus et Melisseus *Purisve clarum*, concinniori epithetorum distributione. *purae* noctes pro serenis ponuntur.

Aut jussa thyrsum quatere, conceptum ferens
Maenas Lyaeum, dubia quo gressus agat,
Haesit parumper: tum per Herculeos lares
Lymphata rapitur; tota vix satis est domus.
Incurrit, errat, sistit. in vultus dolor
Processit omnis: pectori paene intimo
Nihil est relictum. fletus insequitur minas.
Nec unus habitus durat, aut uno furit
Contenta vultu. nunc inardescunt genae,
Pallor ruborem pellit, et formas dolor
Errat per omnes. queritur, implorat, gemit.
Sonuere postes: ecce praecipiti gradu
Secreta mentis ore confuso exserit.
DEJAN. Quamcunque partem sedis aethereae premis,
Conjux Tonantis, mitte in Alcidem feram,
Quae mihi satis sit: si qua foecundum caput
Palude tota vastior serpens movet,

---

243) *conceptum ferens Maenas Lyaeum*) Proba lectio *ferens.* Lucanus V. v. 174:

magnoque exaestuat igne,
Iratum te, Phoebe, ferens.

Idem IX. v. 564:

Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat.

247) *in vultus dolor Processit*) Seneca de Ira I, 1. *Ira se profert et in faciem exit.*

253) *formas dolor Errat per omnes*) Heliodor. Aethiopic. III. *μυρίον εἶδος ἐν ὀλίγῳ τῷ χρόνῳ τὰς ὄψεις ἀμφοῖν ἐπεπλανήθη, καὶ μεταβολὴ παντοία χροιᾶς τε καὶ βλέμματος, τῆς ψυχῆς τὸν σάλον κατηγοροῦσα.*

Ignara vinci: si quid excessit feras,
Immane, dirum, horribile, quo viso Hercules
Avertat oculos; hoc sinu immenso exeat.
Vel si ferae negantur, hanc animam precor
Converte in aliquid: quodlibet possum malum
Hac mente fieri. commoda effigiem mihi
Parem dolori. non capit pectus minas.
Quid excutis telluris extremae sinus,
Orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
Omnes in isto pectore invenies feras,
Quas timuit. odiis accipe hoc telum tuis.
Ego sum noverca: perdere Alcidem potes.
Profer manus quocunque. quid cessas, Dea?
Utere furente. quod jubes fieri nefas?
Reperi. quid haeres? ipsa jam cesses licet,
Haec ira satis est. NUTR. Pectoris sani parum,
Alumna, questus comprime, et flammas doma.
Frena dolorem. conjugem ostende Herculis.

---

272) *Profer manus quocunque*) *profer*, id est, extende. quo sensu Plinius Hist. Nat. II. 47. *pedes* (velorum) *proferre* dicit. Leonidas Tarentinus Epigrammate XXXI. ad Pana:

ἀλλὰ σὺ Θηριμάχῳ δώρων χάριν, ἀγρότα δαῖμον,
χεῖρα κατιθύνοις τοξότιν ἐν πολέμῳ,
ἔν τε συναγκείαισι παρίστασο.

274) *Reperi*) id est, excogita, comminiscere.

276) *Pectoris sani parum, Alumna, questus*) Virg. Aen. v. 780:

talisque effundit pectore questus.

DEJAN. Iole meis captiva germanos dabit
Natis? Jovisque fiet e famula nurus?
Num flamma cursus pariter et torrens ferent,
Et Ursa pontum sicca caeruleum bibet?
Non ibo inulta; gesseris coelum licet,
Totusque pacem debeat mundus tibi:
Est aliquid hydra potius; iratae dolor
Nuptae. Quis ignis tantus in coelum furit
Ardentis Aetnae? quidquid est victum tibi,
Hic vincet animus. capta praeripiet toros?
Adhuc timebam monstra. jam nullum est malum.
Cessere pestes. in locum venit ferae
Invisa pellex. summe prô rector Deûm,
Et clare Titan, Herculis tantum fui
Conjux timentis. vota quae superis tuli,
Cessere captae. pellici felix fui.
Illi meas audistis, o superi, preces:
Incolumis illi remeat. o nulla dolor
Contente poena, quaere supplicia horrida,
Incogitata, infanda. Junonem doce,
Quid odia valeant. nescit irasci satis.
Pro me gerebas bella. propter me vagas
Achelous undas sanguine infecit suo,
Cum lenta serpens fieret; in taurum trucem
Nunc flecteret serpente deposita minas;
Et mille in hoste vinceres uno feras.
Jam displicemus, capta praelata est mihi.
Non praeferetur. qui dies thalami ultimus
Nostri est futurus, hic erit vitae tuae.
Quid hoc? recedit animus, et ponit minas.

Jam cessit ira, quid miser langues dolor?
Perdis furorem? conjugis tacitae fidem
Mihi reddis iterum. quid vetas flammas ali?
Quid frangis ignes? hunc mihi serva impetum.
Pares eramus. non erit votis opus.
Aderit noverca, quae manus nostras regat,
Nec invocata. NUTR. Quod paras demens scelus?
Perimes maritum, cujus extremus dies
Primusque laudes novit, et coelo tenus
Erecta terras fama suppositas habet?

---

308) *Jam cessit ira)* Quia *recedit* praecessit, Vir doctus in Misc. Obss. I. 1. p. 77. malit legere *Jam cecidit ira*, vel *cessat*. Sed melius nihil mutes, ob similem τῶν *regere* et *dirigere* concursum in Phoenissis v. 62. factum. *cedere*, *abscedere*, *decedere* et *recedere* solemnia de ira conquiescente verba sunt. *recedit animus*, ut in Thyeste v. 324:

Male agis, recedis, anime.

312) *Pares eramus)* videlicet, in amore. Par itaque et Junonis in nos odium esse debet. Propertius I. 1. 32:

Sitis et in tuto semper amore pares.

Martialis VIII. 12. 4:

Non aliter fuerint foemina virque pares.

Plutarchus Conjugial. Praecept. 17. *γάμος, ὁ μὲν τῶν ἐρώντων ἡνωμένος καὶ συμφυής ἐστιν.*

317) *coelo tenus Erecta)* *ἀερθεῖσα*, ut loquitur, qui Senecae ob oculos fuit, Pindarus Nem. VIII. 70:

αὔξεται δ' ἀρετά, χλω-
ραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρον ἀΐσ-
σει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις
τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.

Rogos in istos terra consurget parens,
Domusque soceri prima, et Aetolum genus
Sternetur omne; saxa jamdudum et faces
In te ferentur. vindicem tellus suum
Defendet omnis. una quot poenas dabis?
Effugere terras crede, et humanum genus
Te posse; fulmen genitor Alcidae gerit.
Jam jam minaces ire per coelum faces
Specta, et tonantem fulmine excusso diem.
Mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time.
Dominatur illic patruus Alcidae tui.
Quocunque perges, misera, cognatos Deos
Illic videbis. DEJAN. Maximum fieri scelus
Et ipsa fateor, sed dolor fieri jubet.
NUTR. Moriere. DEJAN. Moriar Herculis nempe inclyti
Conjux. nec ullus nocte discussa dies
Viduam notabit, nec meos pellex toros
Captiva capiet. ante ab Occasu dies
Nascetur. Indos ante glacialis polus
Scythasve tepida Phoebus inficiet rota,
Quam me relictam Thessalae inspiciant nurus.
Meo jugales sanguine exstinguam faces.

---

318) *terra consurget parens)* Florentinus: *Angor in istos terra consurget lares.* mendose, ut opinor. Euripides certe μητέρα χθόνα dixit Helen. v. 40. et Chrysip. VII.

333) *Thessalae adspiciant)* Florentinus *inspiciant*, quod acriorem sensum facit. Saepe haec verba permutantur, ut apud Ovidium Met. II. v. 92. et III. v. 69.

Aut pereat, aut me perimat. elisis feris
Et conjugem addat. inter Herculeos licet
Me quoque labores numeret. Alcidae toros
Moritura certe corpore amplectar meo.
Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet;
Sed non inultam. si quid e nostro Hercule
Concepit Iole, manibus evellam meis
Ante, et per ipsas pellicem invadam faces.
Me nuptiali victimam feriat die
Infestus, Iolen dum supra exanimem ruam,
Felix jacet, quicunque, quos odit, premit.
NUTR. Quid ipsa flammas pascis? et vastum foves
Ultro dolorem misera? quid cassum times?
Dilexit Iolen; nempe dum starent lares,
Regisque natam peteret. in famulae locum
Regina cecidit. perdidit vires amor,
Multumque ab illo traxit infelix status.
Illicita amantur; excidit, quidquid licet.
DEJAN. Fortuna amorem pejor inflammat magis.
Amat vel ipsum, quod caret patrio lare,

---

343) *corpore amplectar meo)* Seneca de Ira II. 36. *Transfoderunt itaque amata corpora, et in eorum, quos occiderant, jacuere complexibus.*

353) *dum starent lares)* Contemnitur enim homo sine lare. Tenuius est, quod in Florentino legitur: *cum staret parens.*

359) *Amat vel ipsum)* hoc est, id ipsum, ut bene cepit Wakefield. Silv. Crit. P. IV. pag. 194.

Quod nudus auro crinis et gemma jacet:
Ipsas misericors forsan aerumnas amat.
NUTR. Hoc usitatum est Herculi, captas amat.
Dilecta Priami nempe Dardanii soror
Concessa famulo est. adice, quot nuptas prius,
Quot virgines dilexit. erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
Dum nectit Auge, vim stupri passa excidit,
Nullamque amoris retinet Herculei notam.
Referam quid alias? nempe Thespiades vacant,
Brevique in illas arsit Alcides face.
Hospes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus, ad leves sedit colos,

---

361) *aerumnas amat*) Statius Theb. VIII. v. 559. de Ismene:

castus amanti
Squallor, et indigni commendat gratia luctus.

365) *erravit vagus*) *errare* proprium de amore levi, mobili ac perfido verbum est. Ovidius Art. Amat. III. v. 346:

Quae vobis dicunt, dixerunt mille puellis.
E r r a t, et in nulla sede moratur amor.

Heroid. XVIII. v. 191:

Certus in hospitibus non est amor; e r r a t, ut ipsi,
Cumque nihil speres firmius esse, fuit.

Metam. XIV. v. 680:

nec toto passim vagus e r r a t in orbe.
Haec loca sola colit; nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat.

372) *amore captus*) Heinsius *meroque*. Si ita vellet auctor, *victus*, non *captus*, dicendum fuit.

Udum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa cervix spolia deposuit ferae,
Crinemque mitra pressit, et famulus stetit,
Hirtam Sabaea marcidus myrrha comam.
Ubique caluit, sed levi caluit face.
Haerere amantes post vagos ignes solent.
Famulamne et hostis praeferet natam tibi?
DEJAN. Ut alta silvas forma vernantes habet,
Quas nemore nudo primus investit tepor;
At cum solutos expulit Boreas Notos,

---

373) *Udum feroci*) Restituit Guilielmus Canterus Var. Lect. II. c. 22. quum antea legeretur, *Unum*. Incertus auctor elegiae in obitum Maecenatis v. 74:

torsisti pollice fusos,
Lenisti morsu levia fila parum.

Catullus LXIV. v. 316:

decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis.

377) *levi caluit face*) *levi*, id est, infirma, fugitiva, cui opponitur *perennis amor* Octav. v. 192. Theocritus Id. II. v. 7:

ἦ ῥά οἱ ἄλλᾳ
ᾤχετ' ἔχων ὅ τ' Ἔρως ταχινὰς φρένας.

380) *alta silvas forma vernantes alit*) Florentinus *habet*, graeco loquendi more. Homerus Il. XVIII. v. 515:

μετὰ δ' ἀνέρες, οὓς ἔχε γῆρας.

Odys. XIII. v. 245:

αἰεὶ δ' ὄμβρος ἔχει, τεθαλυῖά τε ἔρση.

Imitatur et Tacitus An. II. 44. *Arminium, pro libertate bellantem, favor habebat.* *alta forma* est, insignis, eximia, sublimis, adoranda forma.

Et saeva totas bruma decussit comas,
Deforme solis aspicis truncis nemus:
Sic nostra longum forma percurrens iter,
Deperdit aliquid semper, et fulget minus,
Nec illa Venus est. quidquid in nobis fuit
Olim petitum, cecidit et partu labat;
Materque multum rapuit ex illo mihi.
Aetas citato senior eripuit gradu.
Vides, ut altum famula non perdat decus?
Cessere cultus penitus, et paedor sedet;

---

384) *solis aspicis truncis*) Longus Pastor. III. p. 73. ed. Schäfer. in simili re: *τὰ δένδρα ἐῴκει κατακλωμένοις.*

387) *Nec illa Venus est*) Horatius Od. IV. 13. 18:

Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat Amores,
Quae me surpuerat mihi,
Felix post Cinaram notaque et artium
Gratarum facies?

Cicero Epist. ad Attic. XII. 14. *perierunt illa, quae amabas.*

389) *Materque multum*) Hinc apud Theocritum Id. XXVII. v. 30. Puella:

τεκεῖν τρομέω, μὴ καὶ χρόα καλὸν ὀλέσσω.

390) *Aetas citato senior eripuit gradu*) Ovidius Medicam. Fac. v. 45:

formam populabitur aetas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.

392) *Cessere vultus*) Amisit vultus; pulchra tamen est. O pulchritudinem admirabilem! Immo *cultus* (ut verissime legit Dan. Heinsius) cessere, desiere, negliguntur plane. Statius Theb. IV. v. 740:

Tamen per ipsas fulget aerumnas decor,
Nihilque ab illa casus et fatum grave
Nisi regna traxit. hic meum pectus timor,
Altrix, lacessit; hic rapit somnos pavor.
Praeclara totis gentibus conjux eram;
Thalamosque nostros invido fato nurus
Optabat omnis: quaeve mens quicquam Deos

---

subitam pulcro in moerore tuentur
Hypsipylen. illi quamvis et ab ubere Opheltes
Non suus, Inachii proles infausta Lycurgi,
Dependet, neglecta comam nec dives amictu:
Regales tamen ore notae, nec mersus acerbis
Exstat honos.

Terentius Phorm. I. 2. 56:

virgo pulchra! et, quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
Lacrumae, vestitus turpis: ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, haec formam exstinguerent.

Apuleius Met. II. p. 36. *At illa, crinibus antependulis hinc inde dimotis, etiam in moerore luculentam proferens faciem.* Noster supra v. 360. de Iole:

nudus auro crinis et gemma jacet.

contra ac descripsit Ovidius Heroid. IX. v. 127:

Ingreditur late lato spectabilis auro.

397) *totis gentibus*) id est, omnibus gentibus, ut supra v. 383:

saeva totas bruma decussit comas.

et inferius v. 1625:

Ultraque totos porrigit ramos nemus.

399) *quo nimis quisquis*) Praeclare veteres illi, Melisseus

Orabat ullos. nuribus Argolicis fui
Mensura voti. quem Jovi socerum parem,
Altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
Dabitur maritus? ipse, qui Alcidae imperat,
Facibus suis me jungat Eurystheus licet,
Minus est. toro caruisse regnantis leve est.
Alte illa cecidit, quae viro caret Hercule.
NUTR. Conciliat animos conjugum partus fere.
DEJAN. Sic ipse forsan dividet partus toros.
NUTR. Famula illa trahitur interim donum tibi.
DEJAN. Hunc, quem per urbes ire praeclarum vides,
Et viva tergo spolia gestantem ferae,

---

et Florentinus: *quaeve mens quicquam deos Orabat ullos*, id est, quaeve puella mente quicquam deos orabat ullos. Ciceroni VI. Epist. ad Div. 7. Caecina: *Nemo nostrum est, ut opinor, quin vota victoriae suae fecerit; nemo, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quam primum Caesar superaretur, optarit.* Incertus auctor Epithalamii Laurentii et Mariae v. 52:

vosque exaudite puellae,
Quas optare pares thalamos, taedasque jugales,
Sensibus ex imis suspiria ducta fatentur.

Statius Theb. IX. v. 711:

Illum et Sidoniae juga per Teumesia nymphae
Bellantem, atque ipso sudore et pulvere gratum
Laudant, et tacito ducunt suspiria voto.

Formulae, *mente deos adire, precari, orare*, passim sunt obviae.

411) *viva tergo spolia*) *viva spolia ferae*, sunt exuviae

Qui regna miseris donat, et celsis rapit,
Vasta gravatus horridam clava manum,
Cujus triumphos ultimi Seres canunt,
Et quisquis alius orbe consepto jacet;
Levis est, nec illum gloriae stimulat decor.
Errat per orbem, non ut aequetur Jovi,
Nec ut per urbes magnus Argolicas eat.
Quod amet, requirit. virginum thalamos petit.
Si qua negata, rapitur. in populos furit;
Nuptas ruinis quaerit: et vitium impotens
Virtus vocatur. cecidit Oechalia inclita,
Unusque Titan vidit atque unus dies
Stantem et cadentem: causa bellandi est amor.
Toties timebit, Herculi natam parens
Quoties negabit. hostis est, quoties socer
Fieri recusat. si gener non est, furit.
Post haec quid istas innocens servo manus,
Donec furentem simulet, ac saeva manu
Intendat arcus, meque natumque opprimat?
Sic conjuges expellit Alcides suas:
Haec sunt repudia! nec potest fieri nocens.
Terris videri sceleribus causam suis
Fecit novercam. quid stupes, segnis furor?

---

leonis nativae, rudes, non subactae. Martialis XII. 64. 5:

Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore v i v o.

422) *cecidit Oechalia*) Plutarchus de Oraculorum Defect. c. 13. Ἡρακλῆς Οἰχαλίαν ἐπολιόρκει διὰ παρθένον.

Scelus occupandum est: perge, dum fervet manus.
NUTR. Perimes maritum? DEJAN. Pellicis certe meae.
NUTR. At Jove creatum. DEJAN. Nempe et Alcmena satum.
NUTR. Ferrone? DEJAN. Ferro. NUTR. Si nequis? DEJAN. Perimam dolo.
NUTR. Quis iste furor est? DEJAN. Quem meus conjux docet.
NUTR. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
DEJAN. Coelestis ira quos premit, miseros facit;
Humana nullos. NUTR. Parce, miseranda, et time.
DEJAN. Contemsit omnes ille, qui mortem prius.
Libet ire in enses. NUTR. Major admisso tuus,
Alumna, dolor est. culpa par odium exigit.
Cur saeva modicis statuis? ut laesa es, dole.
DEJAN. Leve esse credis pellicis nuptae malum?

---

443) *Contemsit omnes ille*) Seneca Epist. IV. *Quisquis vitam suam contemsit, tuae dominus est.*

446) *ut laesa es, dole*) Ovidius Met. X. v. 133:

quae non solatia Phoebus
Dixit? et ut leviter pro materiaque doleret,
Admonuit.

447) *Leve esse credis pellicis nuptae malum?*) Sensus est, quem eruit Perizonius: an credis nuptae leve esse

Quidquid dolorem pascit, hoc nimium putat.
NUTR. Amorne clari fugit Alcidae tibi?
DEJAN. Non fugit, altrix. remanet, et penitus sedet
Fixus medullis, crede: sed magnus dolor,
Iratus amor est. NUTR. Artibus magicis fere
Conjugia nuptae precibus admixtis ligant.
Vernare jussi frigore in medio nemus,
Missumque fulmen stare. concussi fretum
Cessante vento. turbidum explicui mare:
Et sicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum saxa. discussi fores.
Umbrae stetistis: et mea jussi prece
Manes loquuntur. novit infernus canis.
Mare, terra, coelum, et Tartarus servit mihi.
Nox media solem vidit, et noctem dies:
Nihilque leges ad meos cantus tenent.

---

malum, malum pellicis. Vide sis ipsum ad Sanct. Minerv. p. 176.

461) *magnus dolor, Iratus amor est*) Ovidius Met. IV. v. 277. de Daphnide Idaeo:

quem Nymphe pellicis ira
Contulit in saxum. tantus dolor urit amantes.

460) *sonuit infernus canis*) Florentinus: *novit infernus canis*, quod praestat. Statius Theb. V. v. 456:

cinerem furiasque meorum
Testor, ut externas non sponte et crimine taedas
Attigerim. scit cura Deûm.

Lucanus V. v. 109:

dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare.

Flectemus illum. carmina invenient iter.
DEJAN. Quas Pontus herbas generat, aut quas Thessala
Sub rupe Pindus? aut ubi inveniam malum,
Cui cedet ille? carmine in terras mago
Descendat astris luna desertis licet,
Et bruma messes videat, et cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, et versa vice
Medius coactis ferveat stellis dies:
Non flectet unum. NUTR. Vicit et superos amor.
DEJAN. Vincetur uni forsan, et spolium dabit,
Amorque summus fiet Alcidae labor.
Sed te per omne coelitum numen precor,
Per hunc timorem; quidquid arcani apparo,
Penitus recondas, et fide tacita premas.
NUTR. Quid istud est, quod esse secretum petis?
DEJAN. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.
NUTR. Praestare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat. interim scelus est fides.
DEJAN. Circumspice, agedum, ne quis arcana aucupet,
Partemque in omnem vultus inquirens eat.
NUTR. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.
DEJAN. Est in remoto regiae sedis loco
Arcana tacitus nostra defendens specus.

---

478) *quod esse secretum jubes*) Idem liber *petis*, quod melius praecedenti convenit obtestationi. vide ad Oedip. v. 1021.

Non ille primos accipit soles locus,
Non ille, seros, cum ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.
Illic amoris pignus Herculei latet.
Altrix, fatebor, Nessus est auctor mali,
Quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
Qua trepidus astris inserit Pindus caput,
Ultraque nubes Othrys eductus riget.
Namque ut subactus Herculis clava horridi
Achelous, omnes facilis in species dari,
Tandem peractis omnibus patuit feris,
Unoque turpe subdidit cornu caput:
Me conjugem dum victor Alcides habet,
Repetebat Argos. forte per campos vagus
Evenos altum gurgitem in pontum ferens
Jam paene summis turbidus silvis erat.
Transire Nessus verticem solitus vadis
Pretium poposcit: meque jam dorso ferens,

---

493) *Qua celsus astris*) Florentinus cum Lipsiano *trepidus*, id est, ingenti sua magnitudine terrorem incutiens. quo sensu *trepidae literae* Curtio sunt dictae VII. 1. et *trepidae noctes* Papinio Theb. IX. v. 622.

497) *patuit*) in formam suam rediit.

502) *Jam pene summis turbidus ripis erat*) Florentinus: *pene summis turbidus silvis erat*, id est, in eam altitudinem creverat, ut pene summas silvas aequaret. Silius V. v. 261. de Trasimeno:

Lacus ater, in altos
Sublatus montes et sede excussus avita
Lavit Tyrrhenas ignota aspergine silvas.

Qua jungit hominem spina deficiens equo,
Frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
Jam totus undis Nessus exierat ferox,
Medioque adhuc errabat Alcides vado,
Vasto rapacem vorticem scindens gradu.
Ast ille ut esse vidit Alcidem procul,
Tu praeda nobis, inquit, et conjux eris.
Prohibetur undis; meque complexus ferens
Gressum citabat. non tenent undae Herculem:
Infide vector, inquit, immixti licet
Ganges et Ister vallibus junctis eant,
Vincemus ambos. consequar telo fugam.
Praecessit arcus verba. tum longum ferens
Arundo vulnus, tenuit haerentem fugam;
Mortemque fixit. ille jam quaerens diem

---

508) *adhuc errabat*) quippe vadorum ignarus. Nessum contra *scitum* fuisse *vadorum*, testatur Ovidius Met. IX. v. 108.

512) *meque complexus*) *que* transitioni inservit, ut in Oedipo v. 563:

sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit.

ubi vide, quae noto.

515) *vallibus junctis*) *vallibus* pro alveis, ut supra v. 85:

vallibus currat novis
Ister.

Sulpicius Lupercus Servastus Oda Sapphica de Vetustate v. 5:

Amnis insueta solet ire valle.

ubi plura Wernsdorf.

519) *Mortemque fixit*) id est, vulnus mortiferum inflixit.

Tabum fluentem vulneris dextra excipit,
Traditque nobis ungulae insertum suae,
Quam forte saeva sciderat avulsam manu.
Tum verba moriens addit: Hoc, inquit, magae
Dixere amorem posse defigi malo.
Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
Unam inter omnes Luna quam sequitur magam,
Astris relictis. illitas vestes dabis
Hac, inquit, ipsa tabe, si pellex tuos
Invisa thalamos tulerit, et conjux levis
Aliam parenti dederit altisono nurum.
Hoc nulla lux aspiciat, hoc tenebrae tegant
Tantum remotae. sic potens vires suas
Sanguis tenebit: verba deprendit quies,
Mortemque lassis intulit membris sopor.
Tu, quam meis admittit arcanis fides,
Perge, ut nitentem virus in vestem datum
Mentem per artus adeat, et tacitum intimas
Intret medullas. NUTR. Ocius jussa exsequar,
Alumna. precibus tu Deum invictum advoca,

---

520) *Tabum fluentem*) Burmannus ad Lucan. IV. v. 321. *Tabum* damnans, et substituens *Tabem fluentem*, non meminerat Charisii p. 19. declinantis: *hic tabus*, *τὸ λύθρον*, *cruoris inquinatio*.

537) *et tactu intimas*) A Lipsio profectum est. Heinsianus major *tacitus imas*, Florentinus *tacitus mas*. Verissime Gronovius correxit: *et tacitum intimas Intret medullas. tacitum* est tectum, latens, caecum, secretum. confer de hoc usu viros doctos ad Ovid. Met. XV. v. 275.

Qui certa tenera tela dimittit manu.
DEJAN. Te deprecor, quem mundus et superi
timent,
Et aequor, et qui fulmen Aetnaeum quatit,
Timende matri te aliger saevae puer;
Intende certa spiculum velox manu,
Non e sagittis levibus. ex numero, precor,
Graviore profer, quod tuae nondum manus
Misere in aliquem. non levi telo est opus,
Ut amare possit Hercules. rigidas manus
Intende, et arcum cornibus junctis para.
Nunc, nunc sagittam prome, qua quondam
horridus
Jovem petisti; fulmine abjecto Deus,

---

541) *Te, te precor*) Florentinus, *Te deprecor*. Bene. Coelius in Cic. ep. ad Div. VIII. 1. 2. *in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes.*

543) *teliger saevae puer*) Florentinus *te aliger*. Illud ab iis est ortum, qui *Te, te precor* legentes, *te* male triplicari videbant. Virgilius Aen. I. v. 663:

his aligerum dictis adfatur Amorem.

545) *ex humero*) Scripti plerique *ex numero*. et sequor. Anacreon Oda XLV. *εἰς τὰ τοῦ Ἔρωτος βέλη* v. 11:

ὁ δ᾽ Ἔρως, τόδ᾽ ἐστιν, εἶπε,
βαρύ· πειράσας νοήσεις.
ἔλαβεν βέλεμνον Ἄρης·
ὑπεμειδίασε Κύπρις.
ὁ δ᾽ Ἄρης ἀναστενάξας,
βαρὺ, φησὶν, ἆρον αὐτό.
ὁ δ᾽ Ἔρως, ἔχ᾽ αὐτὸ, φησί.

Cum fronte subita tumuit, et rabidum mare
Taurus puellae vector Assyriae scidit.
Immitte amorem. vincat exempla omnia.
Amare discat conjugem. si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
Exstingue totas. perbibat flammas mei.
Tu fulminantem saepe domuisti Jovem,
Tu furva nigri sceptra gestantem poli,
Turbae ducem majoris, et dominum Stygis.
Tuque, o noverca gravior irata Deus,
Cape hunc triumphum. solus evince Herculem.
NUTR. Prolata vis est, quaeque Palladia colu
Lassavit omnem texta famularem manum.
Nunc congeratur virus, ut vestis bibat
Herculea pestem. precibus augebo malum.

---

552) *rapidum mare*) Florentinus *rabidum*, quod δεινότερον est. Recte Gronovius explicat per, insanum. Thyest. v. 361:

Aut saevo r a b i d u s freto
Ventosi tumor Adriae.

ubi vide Ipsum, et Mitscherlich. ad Horat. Od. III. 6. 30.

561) *Tu, qui noverca es gravior*) Florentinus: *Tuque, o noverca gravior irata*, quod recte probat Bothius, et interpretatur: „Cupidinem vicisse Jovem, vicisse Plutonem, eidemque ob id ipsum (*Tuque*, id est Tu quoque) et Herculem jam esse vincendum, illis comparandum.“

562) *solus evince*) Florentinus: *solus et vince Herculem.* Sed alterum efficacius, et Asyndeta amat affectus.

In tempore ipso navus occurrit Lichas.
Celanda vis est dira: ne pateant doli.
DEJAN. O, quod superbae non habent unquam domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha,
Cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbem fertur, et victus mero

---

567) *gnavus occurrit Lichas*) Florentinus *novus*, hoc est *navus*. ita enim scribebant, ut docuit Heinsius ad Ovid. Ep. ex Pont. I. 10. 12.

568) *Celanda vis est dira, ne pateat, doli*) Sic Florentinus. sed scribendum,

Celanda vis est dira: ne pateant doli.

vis pro veneno. sic et paullo ante, *Prolata vis est.* vide ad Valerium Flaccum VII. v. 333.

Heinsius.

Tam evidentem correctionem non potui quin reciperem.

569) *non habent unquam*) Heinsius conjicit:

O, quod superbae non habent junctum domus,
Fidele semper regibus nomen, Licha.

quia *unquam* et *semper* non satis quadrent. Sed eundem πλεονασμὸν offendes infra v. 633:

Non ut presso vomere semper,
Nunquam cesset curvus arator.

Nec reformidavit Terentius Adelph. III. 1. 6:

nunquam unum intermittit diem,
Quin semper veniat.

Ad sententiam plane facit illud Petronii p. 679. ed. Burman.

Quicquid dimittis in aula,
Effluit, et subitis rumoribus oppida pulsat.

Tenet feroci Lydiam gremio nurum,
Nunc poscit Iolen. sed jecur fors horridum
Flectam merendo. merita vicerunt malos.
Non ante vestes induat conjux, jube,
Quam ture flammas pascat, et placet Deos,
Cana rigentem populo cinctus comam.
Ipsa in penates regios gressus feram,
Precibusque amoris horridi matrem colam.
Vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniae, deflete lugendam vicem.

CHORUS AETOLARUM MULIERUM.

Flemus casus, Oenei, tuos,
Comitum primos turba per annos:

---

578) *populo vinctus comam*) Exquisitius in Florentino legitur: *populo cinctus comam.* Horatius, laudante jam Gronovio, (Od. III. 30. 16.):

Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

iterumque (ib. 25. 20.):

Cingentem viridi tempora pampino.

Virgilius Aen. V. v. 539:

cingit viridanti tempora lauro.

Ovidius Am. I. 2. 29:

Cingere litorea flaventia tempora myrto.

Art. Am. III. v. 392:

Navalique gener cinctus honore caput.

Eleg. in Drus. v. 459:

Cingor Apollinea victricia tempora lauro.

582) *deflete lugendas vices*) Florentinus *lugendam vicem,*

Flemus dubios, veneranda, toros.
Nos Acheloi tecum solitae
Pulsare vadum, cum jam tumidas
Vere peracto poneret undas,
Gracilisque gradu serperet aequo,
Nec praecipitem volveret amnem
Flavus rupto fonte Lycormas.
Nos Palladias ire per aras,
Et virgineos celebrare choros:
Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum solitae condita cistis,
Cum jam pulso sidere brumae
Tertia soles evocat aestas,
Et spiciferae concessa Deae
Attica mystas claudit Eleusin.
Nunc quoque casum quemcunque times,
Fidas comites accipe fatis.
Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna ruit.
Tu quicunque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset:
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.

---

quod praestat. Cicero Epist. ad Div. IV. 5. 4. *an illius vicem, credo, doleas?* XII. 23. 6. *in qua tuam vicem doleo.* quod Senecae Consol. ad Helv. 17. *pro te doleo.* Haec et plura Cortius ad I. 9. 6. et XI. 19. 2.

Tenet auratum limen Erinnys,
Et cum magnae patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli,
Ferrumque latens. cumque in populos
Prodire parant, comes invidia est.
Noctem quoties sommovet Eos,
Regem toties credite nasci.
Pauci reges, non regna colunt:
Plures fulgor concitat aulae.
Cupit hic regi proximus ipsi
Clarus latas ire per urbes:
Urit miserum gloria pectus.
Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Istri; nec tota sitim
Lydia vincit; nec, quae Zephyro
Subdita tellus, stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec si totus serviat Hebrus;

---

619) *Clarus latas ire per urbes*) *latas*, id est, magnas. Pollux Onomast. p. 989. ed. Kühn. εἰς μὲν μέγεθος ἐπαινῶν τὴν πόλιν, εἴποις ἂν εὐρεῖαν.

622) *gemmiferi Sufficit Istri*) Lucidum adamanta fert Ister, ut auctor est Dionysius Perieges. v. 318.

624) *Lydia vincit*) Fuere, qui *Libya* reponi mallent. Sed *Lydia* merito tuetur eruditus Anglus in Miscel. Obss. T. I. p. 288.

627) *serviat Hebrus*) Quem inter auriferos fluvios retulit Plinius Hist. Nat. XXXIII. 21. 3. *Apud nos tribus mo-*

Ruraque dives jungat Hydaspes;
Intraque suos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis natura parum est.
Colit hic regem, regumque lares,
Non ut presso vomere semper
Nunquam cesset curvus arator,
Vel mille secent arva coloni:
Solas optat, quas ponat, opes.

---

dis (aurum invenitur): *fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Pado Italiae, Hebro Thraciae, Pactolo Asiae.* ut nihil causae esset, quare vir doctus in Miscel. Obss. T. I. pag. 78. et Burmannus ad Propert. I. 6. 32. cum Delrio scriberent *Hermus.*

628) *Ruraque dives cingat Hydaspes)* Lege cum Florentino *jungat*, eo sensu, quem praebet Gronovius: juncta, qua decurrit, et continuata habeat unique domino praestet. Seneca Epist. 89. *Quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere praediorum modum. Illustrium fluminum per privatum decursus, et amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium a fonte, vestri sunt.* Plura Interpretes ad Petron. c. 48. et 77.

636) *Solas optat, quas donet, opes)* Florentinus *ponit.* Lege cum Gronovio: *quas ponat, opes*, id est, defodiat inque terra condat. Phalaris Epist. 12. ἐκτεθησαυρίκαμεν τοῦ πλούτου, ὅσα παρέσχεν ὁ Θεὸς, εἰς μεταβολὰς τῆς τύχης, οὐκ ἐν τοῖς κόλποις τῆς

Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdatque alios, nullumque levet.
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros enata dies.

γῆς, ὡς παρῄνει, ἀλλ' εἰς τοὺς βουληθέντας τῶν φίλων τὰς δωρεὰς λαμβάνειν. Alexis apud Athenaeum II. 3.

τοὺς εὐτυχοῦντας ἐπιφανῶς δεῖ ζῆν ἀεί,
φανερὰν τε τὴν δόσιν τὴν τοῦ θεοῦ ποιεῖν.
ὁ γὰρ δεδωκὼς τἀγαθὰ, τούτους τῶν μὲν, ὧν
πεποίηκεν αὐτοὺς, οἴεται χάριν τινὰ
ἔχειν ἑαυτῷ· τοὺς ἀποκρυπτομένους δὲ, καὶ
πράττειν μετρίως φάσκοντας, ἀχρήστους ὁρῶν,
ἀνελευθέρως τε ζῶντας, ἐπὶ καιροῦ τινος
λαβὼν ἀφείλεθ' ὅσα δεδωκὼς ἦν πάλαι.

Horatius Epod. I. v. 33. ad Maecenatem:

Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam ut nepos.

638) *Perdatque aliquos)* Emendatiores libri *alios.* Vidit Bothius jungenda esse verba *omnes* et *alios.*

642) *enata dies)* Alii legunt *abitura dies.* Haec vero nimis longi temporis felicitas est. Plutarchus Consolat. ad Apol. 6. *ὀρθῶς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, εἰπόντος Εὐριπίδου·*

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος· ἀλλ' ἐφήμερος.

καὶ ὅτι

μικρότατα τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα

Rarum est, felix, idemque senex.
Caespes Tyrio mollior ostro,
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.
Pectora pauper secura gerit.
Tenet e patula pocula fago,
Sed non trepida tenet illa manu.

τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.
τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἔφη λέγειν αὐτόν· βέλτιον δ' ἂν εἶχεν ὄν, εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου. Itaque recidit aliquid ex isto, Silius XV. v. 250:

Hanc oriens vidit Titan, cum surgeret, urbem
Vallari castris, captamque aspexit eandem
Ocius, Hesperio quam gurgite tingeret axem.

Ausonius non item, de Rosis v. 45:

Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum.

645) *ducere somnos*) id est, suaviter adlicere somnos.

646) *rumpunt tecta quietem*) In contrarium Claudianus III. v. 212:

hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.

647) *trahit purpura noctes*) *trahit noctes* est, longiores et taedio plenas facit, interprete Burmanno ad Propert. I. 14. 9.

Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.
Conjux modico nupta marito
Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis,
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda;
Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores;
Nec Maeonia distinguit acu,
Quae Phoebeis subditus Euris
Legit Eois Ser arboribus.
Quaelibet herbae tinxere colos,
Quas indoctae nevere manus:
Sed non dubios fovet illa toros.
Sequitur dira lampade Erinnys,
Quarum populi coluere diem.
Nec sibi felix pauper habetur,
Nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum praebere diem,
Patrioque puer constitit axe,
Nec per solitum percurrit iter,

---

656) *non strictos respicit enses)* Horat. Od. III. 1, 17:
Destrictus ensis cui super inpia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt soporem.

Sed Phoebeis ignota secat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium coeli dum sulcat iter,
Tenuit placitas Daedalus oras,
Nullique dedit nomina ponto:
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phoeboque volat
Proximus ipsi, dedit ignoto
Nomina ponto.
Male pensantur magna ruinis.
Felix alius, magnusque sonet;
Me nulla vocet turba potentem.
Stringat tenuis litora puppis.
Nec magna meas aura phaselos
Jubeat medium scindere pontum.
Transit tutos Fortuna sinus,
Medioque rates quaerit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.
Sed quid pavido territa vultu,
Qualis Baccho saucia Maenas,
Fertur rapido regina gradu?
Quae te rursus fortuna rotat,
Miseranda, refer. licet ipsa neges,
Vultus loquitur, quodcunque tegis.

ACTUS TERTIUS.

DEJANIRA, CHORUS.

DEJAN. Vagus per artus errat excussos tremor.
Erectus horret crinis. impulsis adhuc
Stat terror animis, et cor attonitum salit,
Pavidumque trepidis palpitat venis jecur.
Ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
Quamvis quiescat languidis ventis dies:
Ita mens adhuc vexatur excusso metu.
Semel profecto premere felices Deus
Cum coepit, urget. hos habent magna exitus.
CHOR. Quis tam impotens, o misera, te casus rotat?
DEJAN. Ut missa palla est, tabe Nessea illita,
Thalamisque moerens intuli gressum meis,
Nescio quid animus timuit, et, fraudem struit.

---

718) *et fraudem struit*) Distingue: *et, fraudem struit*, et supple *dixi*. Sic Phaedr. Fab. I. 29. 10:

Libet experiri. solibus virus ferum
Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit.
Hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.
Et forte nulla nube respersus jubar
Laxabat ardens fervidum Titan diem.
(Vix ora solvi patitur etiam nunc timor.)
Medios in ignes solis, et claram facem,
Quo tincta fuerat palla, vestisque illita,
Abjectus horret sanguis, et Phoebi coma
Tepefactus ardet. vix quoque est monstrum eloqui.
Nives ut Eurus solvit, ut tepidus Notus,
Quas vere primo lubricus perdit Mimas;

Repressit iram, et facilis vindicta est mihi. subaudi *dixit*. Nihil hac ellipsi frequentius. vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. pag. 662.

721) *Hic ipse fraudes esse praemonuit Deus*) Lege cum Florentino *dolus*. Ex hoc ipso dolo me deceptam intellexi. Hygin. Fab. XXXVI. *inde paululum, quod in terram deciderat, ut id sol attigit, ardere coepit. Quod cum Dejanira vidit, aliter esse, ac Nessus dixerat, intellexit: et, qui revocaret eum, cui vestem dederat, misit.* Apud Sophoclem Trachin. v. 705. Dejanira, post mirificum illum lanae, qua vestem tinxerat, casum, inquit:

ὥστ' οὐκ ἔχω τάλαινα, ποῖ γνώμης πέσω·
ὁρῶ δ' ἔμ' ἔργον δεινὸν ἐξειργασμένην.

723) *Laxabat*) id est, aestu solvebat.

728) *vix queo monstrum eloqui*) Florentinus: *vix quoque est monstrum eloqui*, eleganti Graecismo. Vid. Heins. ad Ov. Art. Am. II. v. 28.

Utque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, et lassus tumor
In litore ipso spumat; aut coelestibus
Aspersa tepidis tura laxantur focis:
Sic languet omne vellus, et perdit comam.
Dumque ipsa miror, causa mirandi perit.
Quin ipsa tellus spumeos motus agit,
Et quidquid illa tabe contactum est, labat.
Tumensque tacita sequitur, et quassat caput.
Natum paventem cerno et ardenti pede
Gressus ferentem. prome, quid portes novi.

HYLLUS, DEJANIRA, NUTRIX.

HYL. I, profuge, quaere, si quid ulterius patet
Terris, freto, sideribus, Oceano, inferis.

---

735) *comam*) poetice pro, comas, id est, pilos, villos, floccos.

736) *Dumque ipsa miror*) *ipsa* dicit, quo magis rei fides constet.

738) *Tumensque tacita sequitur, et quassat caput*) Huic loco nihil ad integritatem deest. *que* pro praeterea ponitur, ut Oedip. v. 564. et alias quidem saepe. *tacitam* accipe Nutricem, et vide, quae annotavit Gronovius ad Hipp. v. 1085. *sequitur*, id est, huc tendit, dirigit, nos quaerit; quam verbi notionem explicat Burmannus ad Valer. Flac. I. v. 3. *tumens* exquisite dicitur pro, moesta. confer de hoc usu Bentleium ad Horat. Art. poet. v. 197. *quassat* denique *caput*, plane ut Oedip. v. 912:

Moestus it famulus manu
Regius quassans caput.

Ultra labores, mater, Alcidae fuge.
DEJAN. Nescio quod animus grande praesagit malum.
HYL. Regna, triumpha, templa Junonis pete:
Haec tibi patent. delubra praeclusa omnia.
DEJAN. Effare, qui me casus insontem premat.
HYL. Decus illud orbis, atque praesidium unicum,
Quem fata terris in locum dederant Jovis,
O mater, abiit. membra, et Herculeos toros
Urit lues nescio qua. qui domuit feras,
Ille, ille victor vincitur, moeret, dolet.

---

753) *Ille, ille victor vincitur, moeret, dolet*) Heinsius, probante Burmanno ad Propert. III. 9. 15. scribit:

qui domuit feras
Mille, ille victor vincitur. merito doles.

confertque locum Nasonis (Heroid. IX. v. 25.), ubi Dejanira:

Quem non mille ferae, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Juno vincere, vincit Amor.

quasi nihil interesset. *qui domuit feras* est, domitor magnus ferarum, ut eum adpellat Chorus v. 1989. Geminatio autem talis, quae Troad. v. 721:

Ille, ille ferox, cujus vastis
Viribus omnes cessere ferae.

Denique *moeret, dolet* ad indignitatem calamitatis refer. Idem v. 806:

Flentem videmus.

Chorus v. 1209:

Pudet auctoris, non morte dolet.

Hercules ipse v. 1265:

Quid quaeris ultra? DEJAN. Miserias prope-
rant suas
Audire miseri. fare, quo posita in statu
Jam nostra domus est. o lares, miseri lares!
Nunc vidua, nunc expulsa, nunc feror obruta!
HYL. Non sola moeres. Hercules toto jacet
Mundo gemendus. fata ne, mater, tua
Privata credas. jam genus totum obstrepit.
Hunc, ejulatu quem gemis, cuncti gemunt.
Commune terris omnibus pateris malum.
Luctum occupasti. prima, non sola Herculem
Miseranda moeres. DEJAN. Quam prope a
leto tamen,
Ede, ede, (quaeso) jaceat Alcides meus.

Unde iste fletus? unde in has lacrimae genas?
Invictus olim vultus et nunquam malis
Lacrimas suis praebere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.
Tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
Tibi cessit uni. prima et ante omnes mihi
Fletum abstulisti. durior saxo horrido
Et chalybe vultus, et vaga Symplegade,
Ritus meos infregit, et lacrimam expulit.
Flentem, gementem, summe pro rector poli,
Me terra vidit.

763) *Luctum occupasti prima. non sola.*) Iac. Gronovius distinguendum vidit:

Luctum occupasti. prima, non sola Herculem
Miseranda moeres.

HYL. Mors refugit illum, victa quae in re-
gno suo
Semel est. nec audent fata tam vastum nefas
Admittere. ipsas forsitan trepida colus
Clotho manu projecit, et fatum Herculis
Timet peragere. prô diem! infandum diem!
Hocne ille summo magnus Alcides erit?
DEJAN. Ad fata et umbras, atque pejorem
polum
Praecedere illum dicis? an possum prior
Mortem occupare? fare, si nondum occidit.
HYL. Euboica tellus vertice immenso tumens
Pulsatur omni latere. Phrixeum mare
Scindit Caphareus. servit hoc Austro latus.
At qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas,
Septemque cursus volvit, et totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano juga.
Heic rupe celsa, nulla quam nubes ferit,
Annosa fulgent templa Cenaei Jovis.
Ut stetit ad aras omne votivum pecus,
Totumque tauris gemuit auratis nemus;
Spolium leonis sordidum tabo exuit,

---

768) *ipsa forsitan trepida colos*) Lege cum Florentino *ipsas colus*, et explicat severas illas, non revocabiles colus. Incertus Poeta in Analectis Vet. Poet. Graec. T. III. pag. 275:

Δίου Ὀρειβασίοιο, τὸν ἀθανάτην διὰ τέχνην
πολλάκι δειμαίνουσα μίτους ἀνεβάλλετο Μοῖρα.

Posuitque clavae pondus, et pharetra graves
Laxavit humeros. veste tunc fulgens tua,
Cana revinctus populo horrentem comam,
Succendit aras. Accipe has, inquit, focis
Non false messes genitor, et largo sacer
Splendescat ignis ture, quod Phoebum colens
Dives Sabaeis colligit truncis Arabs.
Pacata tellus, inquit, et coelum, et freta;
Feris subactis omnibus victor redii.
Depone fulmen. gemitus in medias preces,
Stupente et ipso, cecidit. hinc coelum horrido
Clamore complet. qualis impressa fugax
Taurus bipenni vulnus et telum ferens,
Delubra vasto trepida mugitu replet;
Aut quale mundo fulmen emissum tonat;
Sic ille gemitus sidera et pontum ferit:
Et vasta Chalcis sonuit, et voces Cyclas
Excepit omnis. hinc petrae Capharides,
Hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
Flentem videmus. vulgus antiquam putat
Rabiem redisse. tunc fugam famuli petunt.
At ille vultus ignea torquens face,
Unum inter omnes quaerit et sequitur Lichan.
Complexus aras ille tremebunda manu,
Mortem metu consumsit, et parvum sui

---

811) *Mortem metu consumsit*) Hoc imitatus est Statius Theb. X. v. 563:

Consumsit ventura timor.

Ibid.) *parvum sui Poenae reliquit*) Sic Florentinus. Vul-

Poenae reliquit. dumque tremebundum manu
Tenuit cadaver, Hac manu, hac, inquit, ferar
(O fata!) victus? Herculem perimit Lichas.
Ecce alia clades, Hercules perimit Lichan.
Facta inquinentur. fiat hic summus labor.
In astra missus fertur, et nubes vago
Spargit cruore. talis in coelum exsilit
Arundo, Getica visa dimitti manu;
Aut quam Cydon excussit: inferius tamen
Et tela fugient. truncus in pontum cadit.
In saxa cervix. funus ambobus jacet.
Resistite, inquit. non furor mentem abstulit.
Furore gravius istud atque ira malum est.
In me juvat saevire. vix pestem indicat,
Et saevit. artus ipse dilacerat suos,

---

go *parum*, damnante versu. *parvum sui* dicitur, ut apud Lucanum II. v. 128:

parvum sed fessa senectus
Sanguinis effundit jugulo.

ubi plura Oudendorpius, quem vide.

813) *Tenuit cadaver*) id est, morti vicinum. Lucanus III. v. 720:

ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver.

Seneca Epist. 70. *omnes enim necessarii deseruerant impie, jam non reum, sed funus.* pro, qui animam agebat.

820) *inferius tamen Et tela fugient*) Pro eo, quod ait Ovidius, eandem rem narrans, Met. IX. v. 217:

Corripit Alcides, et terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas tormento fortius undas.

Et membra vasta carpit avellens manu.
Exuere amictus quaerit. hoc solum Herculem
Non posse, vidi. trahere conatus tamen,
Et membra traxit. corporis palla horridi
Pars est, et ipsam vestis immiscet cutem.
Nec causa dirae cladis in medio patet:
Sed causa tamen est, vixque sufficiens malo
Nunc ore terram languidus prono premit;
Nunc poscit undas. unda non vincit malum.
Fluctisona quaerit litora, et pontum occupat.

---

833) *Sed causa tamen est, vixque sufficiens malo. Nunc ore terram*) Distingue:

Sed causa tamen est. vixque sufficiens malo
Nunc ore terram etc.

que hic, ut saepe, transitioni servit. *vix sufficiens*, id est, paene succumbens malo, de Hercule intelligendum esse, docet ipse, qui sic fatur infra v. 1230:

Defecit ingens corpus, et pesti satis
Herculea non sunt membra.

Scilicet idem est *malo sufficere* et *pesti satis esse.* Curtius VIII. 4. *Nec ulla res magis saluti fuit, quam quod multiplicato labore sufficientem malis, quibus ipsi cesserant, regem deserere erubescebant.* Aristaenetus Epist. I. 23. *δυοῖν δεινοῖς ἅμα περιπέπτωκα, φίλε, καὶ πρὸς ἓν τούτων μόλις ὁποτερονοῦν διαρκῶν, ἐξ ἐπιμέτρου θάτερον ἔχων καὶ διπλάσια δυςτυχῶ.* Adde quae notavimus ad v. 738. hujus Tragoediae.

834) *Ore terram languidus prono ferit*) Recte *premit* Florentinus. Nam gravior vasti corporis lapsus est. Ovidius Fast. IV. v. 844. de Remo:

Ille premit duram sanguinolentus humum.

Famularis illum retinet errantem manus.
O sortem acerbam! fuimus Alcidae pares.
Nunc puppis illum litore Euboico refert,
Austerque lenis pondus Herculeum rapit.
DEJAN. Destituit animus membra, nox oculos premit.
Quid, anime, cessas? quid stupes factum scelus?
Natum reposcit Juppiter, Juno aemulum.
Reddendus orbi est. quod potest reddi, exhibe.
Eat per artus ensis exactus meos.
Sic, sic agendum est. tam levis poenas manus
Tantas reposcit? tolle fulminibus, socer,
Nurum scelestam. nec levi telo manus
Armetur. illud fulmen exsiliat polo,
Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,
Hydram cremasses, pestem ut insolitam feri,
Et ut noverca pejus irata malum.
Emitte telum, quale in errantem prius
Phaethonta missum est. perdidi sola Herculem,

---

846) *tam levis poenas manus*) *levis* est inbellis, muliebris.

854) *perdidi erepto Hercule Et ipsa populos*) Florentinus et Lipsianus: *perdidi sola Herculem, Et ipsa populos.* Optime. *sola* dicit propter illud *noverca pejus irata malum.* Supra v. 440. Nutrix ad Dejaniram:

Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?

Infra v. 940. Dejanira:

Iuno non ausa Herculem est
Eripere terris.

et ipsa populos ad Phaëthonta spectat. Ovidius Met. II. v. 215. in ejus fabula:

Et ipsa populos. quid rogas telum Deos?
Jam parce socero. conjugem Alcidae necem
Optare pudeat. haec erit voto manus:
A me petatur. occupa ferrum ocius.
Cur deinde ferrum? quidquid in mortem trahit,
Telum est abunde. rupe ab aetherea ferar.
Haec, haec renatum prima quae poscit diem,
Oeta eligatur. corpus hinc mitti placet.
Abrupta cautes scindat, et partem mei
Ferat omne saxum. pendeant lacerae manus,
Totumque rubeat asperi montis latus.
Levis una mors est. levis, at extendi potest.
Eligere nescis, anime, cui telo incubes.
Utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis! huic decet ferro immori.
Una perire dextera nobis sat est?
Coite gentes. saxa et incensas faces
Jaculetur orbis. nulla nunc cesset manus.

---

magnae pereunt cum moenibus urbes:
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

859) *Cur deinde ferrum*) Sic etiam loquitur infra v. 1408:
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?

868) *in thalamis*) Theocritus XXIV. v. 42. de Amphitryone:
δαιδάλεον δ' ὥρμησε μετὰ ξίφος, ὅῤῥ' οἱ ὕπερθε
κλιντῆρος κεδρίνω περὶ πασσάλω αἰὲν ἄωρτο.

872) *nulla nunc cesset manus*) *nunc*, id est, cum de morte euergetae et soteris ulciscenda agatur. Ovidius Met. VII. v. 332:
Quid nunc dubitatis inertes?

Corripite tela. vindicem vestrum abstuli.
Impune saevi sceptra jam reges gerent.
Impune jam nascetur indomitum malum.
Reddentur arae cernere assuetae hostiam
Similem colenti. sceleribus feci viam.
Ego vos tyrannis, regibus, monstris, feris,
Saevisque, rapto vindice, opposui Deis.
Cessas, Tonantis socia? non spargis facem,
Imitata fratrem, et mittis ereptam Jovi?
Meque ipsa perdis? laus tibi erepta inclita est,
Ingens triumphus. aemuli, Juno, tui
Mortemque occupavi. NUTR. Quid domum impulsam trahis?
Erroris est hoc omne, quodcunque est, nefas.
Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens.
DEJAN. Quicunque fato ignoscit, et parcit sibi,

---

ubi vide Burmannum particulae vim bene explicantem.

879) *opposui deis*) Heinsius malebat *exposui*. sed frustra. vide ad Phoenis. v. 407.

887) *Quicunque fato ignoscit*) Phrasi eadem utitur infr. v. 983:

Parce jam mater, precor,
Ignosce fatis, error a culpa vacat.

Fato ignoscit, qui delictum, fati culpa commissum, non vindicat; eique contrarium est *fata damnare sua* v. 900. quod et aliis modis effertur Herc. fur. v. 1238. Phoenis. v. 452. 538 et 555. Huc autem pertinet Senecae patris illud Controv. 23. *est quaedam proxima innocentiae verecundia, praebere se legibus.* Exem-

Errare meruit. morte damnari placet.
NUTR. Nocens videri, qui mori quaerit, cupit.
DEJAN. Mors innocentes sola deceptos facit.
NUTR. Titana fugies? DEJAN. Ipse me Titan fugit.
NUTR. Vitam relinques misera? DEJAN. At Alciden sequar.
NUTR. Superest, et auras ille coelestes trahit.
DEJAN. Vinci Hercules cum potuit, hinc coepit mori.
NUTR. Natum relinques, fataque abrumpes tua?
DEJAN. Quamcunque natus sepelit, haec vixit diu.
NUTR. Virum sequeris? DEJAN. Praegredi castae solent.
NUTR. Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.

---

plum habet Valerius Maximus V. 6. 4. *Miles in castris Pompeji, cum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem cominus interemisset jacentemque spoliaret: ut fratrem germanum esse cognovit, eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transverberavit. Licebat ignorantiae beneficio innocenti vivere; sed, ut sua potius pietate, quam aliena venia uteretur, comes fraternae neci non defuit.*

889) *qui mori quaerit*) id est, cogitat, cupit. Propertius II. 2. 5:

Liber eram, et vacuo quaerebam vivere lecto.

ubi vide Criticos.

DEJAN. Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat.
NUTR. Multis remissa est vita, quorum error nocens,
Non dextra, fuerat. fata quis damnat sua?
DEJAN. Quicunque fata iniqua sortitus fugit.
NUTR. Hic ipse Megaren nempe confixam suis
Stravit sagittis atque natorum indolem,
Lernaea figens tela furibunda manu.
Ter parricida factus ignovit tamen
Sibi. nam furoris fonte Cinyphio scelus
Sub axe Libyco tersit, et dextram abluit.
Quo misera pergis? quid tuas damnas manus?
DEJAN. Damnat meas devictus Alcides manus.
Placet scelus punire. NUTR. Si novi Herculem,
Aderit cruenti forsitan victor mali,
Dolorque fractus cedet Alcidae tuo.
DEJAN. Exedit artus virus, ut fama est, hydrae:
Immensa pestis conjugis membra abstulit.
NUTR. Serpentis illi virus enectae autumas
Haud posse vinci, qui malum et vivum tulit?
Elisit hydram, dente cum infixo stetit
Media palude victor, effuso obrutus
Artus veneno. sanguis hunc Nessi opprimet,
Qui vicit ipsas horridas Nessi manus?

---

899) *Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat*) Seneca de Ira I. 14. *Nemo invenitur, qui se possit absolvere, et innocentem quisque se dicit, respiciens testem, non conscientiam.*

DEJAN. Frustra tenetur ille, qui statuit mori.
Proinde lucem fugere decretum est mihi.
Vixit satis, quicunque cum Alcide occidit.
NUTR. Per has aniles ecce te supplex comas,
Atque ubera ista paene materna obsecro,
Depone tumidas pectoris laesi minas,
Mortisque dirae expelle decretum horridum.
DEJAN. Quicunque misero forte dissuadet mori,
Crudelis ille est. interim poena est mori:
Sed saepe donum in pluribus veniae fuit.
NUTR. Defende saltem dexteram, infelix, tuam,
Fraudisque facinus esse, non nuptae, sciant.
DEJAN. Defendar illic. inferi absolvent ream.
A me ipsa damnor. purget has Pluton manus.
Stabo ante ripas, immemor Lethe, tuas,
Et umbra tristis conjugem excipiam meum.
Sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
Para laborem. scelera quae quisque ausus est,
Hic vicit error. Juno non ausa Herculem est

---

931) *Sed saepe donum in pluribus veniae fuit*) *donum veniae fuit*, id est, beneficii et gratiae loco concessum est. Seneca de Ira I. 16. *Interim optimum misericordiae genus est, occidere. in pluribus* dicitur pro, in plures, erga plures. Thyest. v. 220:

Fas est in illo, quidquid in fratre est nefas.

ubi vide.

934) *Defendar illic*) apud inferos. Euripides Hecuba v. 418:

ἐκεῖ δ' ἐν ᾅδου κείσομαι χωρὶς σέθεν.

Propertius I. 19. 3:

Illic formosae veniant chorus heroinae.

Eripere terris, horridam poenam para.
Sisyphia cervix cesset, et nostros lapis
Impellat humeros. me vagus fugiat latex,
Meamque fallax unda deludat sitim.
Merui manus praebere turbinibus tuis,
Quaecunque regem Thessalum torques, rota.
Effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras.
Vacat una Danais; has ego explebo vices.
Laxate manes. recipe me comitem tibi,
Phasiaca conjux. pejor haec, pejor tuo
Utroque dextra est scelere, seu mater nocens,
Seu dira soror es. adde me comitem tuis,
Threicia conjux, sceleribus. natam tuam,
Althaea mater, recipe: nunc veram tuam
Agnosce prolem. quid tamen tantum manus
Vestrae abstulerunt? claudite Elysium mihi,
Quaecunque fidae conjuges nemoris sacri
Lucos tenetis. si qua respersit manus
Viri cruore, nec memor castae facis
Stricto cruenta Belis in ferro stetit,
In me suas agnoscat et laudet manus.
In hanc abire conjugum turbam libet.
Sed et illa fugiet turba tam diras manus.
Invicte conjux, innocens animus mihi,

---

960) *cruenta Belias ferro*) Florentinus *bella cum ferro*, ex quo Gronovius rectissime fecit *Belis in ferro*. Apuleius III. Met. 47. *At illi barbari neque Bugam cepissent, et cum me viderent in ferro, tamen audacter resistunt.* Ovidius VIII. Met. 313:

Scelesta manus est. prô nimis mens credula,
Prô Nesse fallax! atque semiferi doli!
Auferre cupiens pellici, eripui mihi.
Recede, Titan; tuque, quae blanda tenes
In luce miseros, vita: cariturae Herculi
Lux vilis ista est. exigam poenas tibi,
Reddamque vitam. fata an extendo mea?
Mortemque conjux ad tuas servo manus?
Virtusne superest aliqua, et armatae manus
Intendere arcum tela missurum valent?
An arma cessant, teque languenti manu
Non audit arcus? si potest letum dare,
Animose conjux, dexteram exspecto tuam.
Mors differatur. frange ut insontem Licham;
Alias in urbes sparge; et ignotum tibi
Emitte in orbem. perde, ut Arcadiae nefas,
Et quidquid aliud restitit. ab illis tamen,
Conjux, redisti. HYL. Parce jam, mater, precor.
Ignosce fatis: error a culpa vacat.
DEJAN. Si vera pietas, Hylle, quaerenda est tibi,
Jam perime matrem. pavida quid tremuit manus?

---

primis etiamnum Nestor in armis.
ubi vide Criticos.

981) *quidquid aliud restitit)* Proba lectio *restitit.* Supra v. 57:

quidquid immane obstitit,
Solae manus stravere:

Quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
Ignave, dubitas? Herculem eripui tibi.
Haec, haec peremit dextra, cui debes patri
Avum Tonantem. majus eripui decus,
Quam in luce tribui. si tibi ignotum est nefas,
A matre disce. seu tibi jugulo placet
Mersisse ferrum, sive maternum libet
Invadere uterum, mater intrepidum tibi
Praebebit animum. non erit totum scelus
A te peractum. dextera sternar tua,
Sed mente nostra. natus Alcidae times?
Ita nulla peragas jussa, nec frangens mala
Erres per orbem, si qua nascetur fera,
Referas parentem. dexteram intrepidam para.
Patet ecce plenum pectus aerumnis. feri.
Scelus remitto. dexterae parcent tuae
Eumenides ipsae. verberum crepuit sonus.
Quaenam ista torquens angue vipereo comam

---

990) *Quam in luce tribui)* in luce scilicet danda. Lucanus I. v. 116: [illegible] *si tibi fata dedissent Majores in luce moras.* Sensus verborum haud dubie is est, quem eruit Gronovius in Diatribe Statiana c. 57: Eripui tibi majus decus, quia nempe Hercules tum major, pluribus egregiis factis, et Iove patre probatiore. Deinde ignaro hoc decus dedi, eripui sentienti.

1003) *angue vipereo)* Intellige Cerasten, qui vipereum est genus, juxta Nicandrum Theriac. v. 307. et quem *cri-*

Temporibus atras squallidis pinnas quatit?
Quid dira me flagrante persequeris face,
Megaera? poenas poscit Alcides. dabo.
Jamne inferorum, Diva, sedere arbitri?
Sed ecce, diras carceris video fores.
Quis iste saxum immane detritis gerit
Jam senior humeris? ecce, jam vectus lapis
Quaerit relabi. membra quis praebet rotae?
Heic ecce pallens dira Tisiphone stetit,

---

nalem attollit longo stridore Megaera Statii Theb. XI. v. 65. Aut lege cum Heinsio:

Quaenam ista torquens igne vipereo comam —

ut Annaeus per *vipereum ignem* oculos serpentum ardentes ac scintillantes innuat. Nihil ea conjectura speciosius esse potest.

1004) *atras squallidis pinnas*) Heinsius refingit *atras spiras*, vultque spiras serpentum intelligi. Sed Furiis alas jam ab Euripide tributas esse, docet Böttigerus in: Die Furienmaske pag. 25 *. Alatam quoque Megaeram facit Virgilius Aen. XII. v. 848. Tum autem alae poëtis velocitatem significant. Atqui Orpheus Hymno in Furias v. 9:

ἠέριαι, ἀφανεῖς, ὠκύδρομοι ὥστε νόημα.

1007) *Jamne inferorum, Diva*) Florentinus *Dira*. Perperam. *δῖα Μέγαιρα* est apud Orpheum Hymno in Furias v. 2. et *θεὰ δασπλῆτις Ἐριννύς* apud Homerum Odys. XV. v. 234.

1008) *diras carceris*) ut in Thyeste v. 16:

Quod ipse custos carceris diri horreat.

1012) *pallens Tisiphone stetit*) *stetit* exemplo Furiae reum agentis Orestem in Winckelmanni Monum. Ined. n. 151. Monuit jam Böttigerus libelli modo laudati pag.

Causam reposcit. parce verberibus, precor,
Megaera, parce; sustine Stygias faces.
Scelus est amoris. sed quid hoc? tellus labat
Et aula tectis crepuit excussis. minax
Unde iste coetus? totus in vultus meos
Decurrit orbis, hinc et hinc populi fremunt,
Totusque poscit vindicem mundus suum.
Jam parcite, urbes. quo fugam praeceps agam?
Mors sola portus dabitur aerumnis meis.
Testor nitentis flammeam Phoebi rotam,
Superosque testor. Herculem terris adhuc
Moritura linquo. HYL. Fugit attonita. hei mihi!
Peracta jam pars matris est. statuit mori.
Nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
O misera pietas! si mori matrem vetas,
Patri es scelestus. si mori pateris tamen,
In matre peccas. surgit hinc illinc nefas.
Inhibenda tamen est. verum et eripiam scelus.

---

71. *pallens*, ut a Virgilio Georg. III. v. 552. *pallida Tisiphone* dicitur.

1013) *Causam poposcit*) Florentinus *reposcit*, frequenti temporum enallage. vid. Gronov. ad Hipp. v. 510.

1018) *Decurrit orbis*) Sic iterum loquitur infr. v. 1388: *mille decurrant ferae*, ne cum Heinsio legas *Incurrit*.

1030) *pergam, et eripiam scelus*) Florentinus: *verum et eripiam scelus*, quod recte probat Bothius, et interpretatur *verum scelus* esse, quod sciens admittit, cum

CHORUS.

Verum est, quod cecinit sacer
Thressae sub Rhodopes jugis,
Aptans Pieriam chelyn,
Orpheus, Calliopae genus:
Aeternum fieri nihil.
Illius stetit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusque sequi fugam
Amisit liquor impetum:
Et dum fluminibus mora est,
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistones ultimi.

Herculem nesciens occiderit. Ovidius Met. XIV. v. 401:

Criminibusque premunt veris, regemque reposcunt.

Trist. III. 2. 5:

Nec mihi quod laesi vero sine crimine, prodest.

ibid. 11. 33:

Omnia vera puta mea crimina. nil sit in illis
Quod magis errorem, quam scelus esse putes.

et diversa tempora jungere frequentius est, quam ut exemplum desideret.

1033) *Aptans Pieriam chelyn*) Pro eo, quod ait Ovidius, qui Senecae praeivit, Met. X. v. 145:

Ut satis impulsas tentavit pollice chordas,
Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos, hoc vocem carmine rupit:
Ab Jove etc.

Advexit volucrem nemus,
Et silva residens venit;
Aut si quae aera pervolat,
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos,
Centauros obiter ferens;
Et juxta Rhodopen stetit
Laxata nive cantibus.
Et quercum fugiens suam,
Ad vatem properat Dryas,
Ad cantus veniunt suos
Ipsis cum latebris ferae.

1044) *Et silva residens venit*) Eandem rem ita expressit Silius XI. v. 469:

Cum silvis venere ferae, cum montibus amnes.
Immemor et dulcis nidi, positoque volatu
Non mota volucris captiva pependit in aethra.

venit, movetur cantu. Idem Silius III. v. 620. de eodem:

cui substitit Hebrus,
Et venit Rhodope.

1054) *Ad cantus veniunt suis Ipsae cum latebris ferae*) Florentinus: *ad cantus veniunt tuos Ipsis cum latebris ferae.* Scribendum de Heinsii conjectura:

Ad cantus veniunt suos
Ipsis cum latebris ferae.

suos ponitur pro pedestri, ejus, ut apud Ovidium Ponticor. I. 7. 48:

Si sua per vestras victa sit ira preces.

et multis locis, quae vel Sanctii Minerva II. 12. demonstrat.

Juxtaque impavidum pecus
Sedit Marmaricus leo,
Nec damae trepidant lupos,
Et serpens latebras fugit,
Tunc oblita veneni.
Quin per Taenarias fores
Manes cum tacitos adit,
Moerentem feriens chelyn,
Cantu Tartara flebili
Et tristes Erebi Deos
Movit: nec timuit Stygis
Juratos superis lacus.
Haesit non stabilis rota

1060) *Tunc oblita veneni*) Editio princeps *mali sui*, quod versus fulciendi causa subjectum videtur. Sed Pherecrateus quoque est v. 1080:

Orpheus carmina fundens.

id *oblita veneni* suum fecit Silius III. v. 301:

Ad quorum cantus serpens oblita veneni,
Ad quorum tactum mites jacuere cerastae.

1065) *Et tristes Erebi deos*) *tristes*, id est, severos. Herc. fur. v. 611:

et tristes deos,
Et fata vici.

Eandem rem alio modo expressit Ovidius Met. X. v. 45:

Tum primum lacrimis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas.

rursus alio Manilius V. v. 328:

Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus,
Et sensus scopulis, et siluis addidit aures,
Et Diti lacrimas, et morti denique finem.

Victo languida turbine.
Increvit Tityi jecur,
Dum cantus volucres tenet,
Aurito quoque navita
Inferni ratis aequoris
Nullo remigio venit.
Tunc primum Phrygius senex
Undis stantibus immemor
Excussit rabidam sitim,
Nec pomis adhibet manus:
Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens;
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.
Consumtas iterum Deae
Supplent Eurydices colos:
Sed dum respicit immemor,
Nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,

1072) *Audito quoque navita)* Pulchre et vere Clerkius Spec. I. Observ. ad Lucan. p. 22. scribit: *Aurito quoque navita*, id est, auscultante, aures admovente. Horatius Od. I. 12. 11. de eodem:

Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

ubi vid. Mitscherlich.

1080) *Orpheus carmina fundens)* *carmina dividens* tentabat Bentleius ad Horat. Od. I. 15. 15. Sed melius nihil mutes, ob similem versum 1060:

Tunc oblita veneni.

Cantus praemia perdidit.
Quae nata est iterum, perit.
Tunc solamina cantibus
Quaerens, flebilibus modis
Haec Orpheus cecinit Getis:
Leges in superos datas,
Et qui tempora digerens
Quatuor praecipitis Deus
Anni disposuit vices,
Nulli non avidas colo
Parcas stamina nectere.
Quod natum est, poterit mori.
Vati credere Thracio
Devictus jubet Hercules.
Jam jam legibus obrutis
Mundo cum veniet dies;

1094) *Et qui tempora digerens Quatuor praecipitis deus Anni disposuit vices*) Frustra est Rutgersius, qui versus transponit. *Et qui* dictum accipe pro, et in eum qui. Multis hoc loquendi genus illustrat Perizonius ad Sanct. Minerv. p. 209. *Quatuor* est dissyllabon, monente jam G. Fabricio. vide et Vossium de Art. Grammat. p. 158. et 232.

1102) *legibus obrutis*) id est, deletis, oppressis legibus, quae mundum continent. Gronovius malit *irritis*, quia bis sequitur *obruet*. Sed non meminerat, verbum *cadere* toties esse repetitum in Thyeste, v. 855:

Leo flammiferis aestibus ardens
Iterum e coelo cadet herculeus.
Cadet in terras Virgo relictas,
Iustaeque cadent pondera Librae.

Australis polus obruet
Quidquid per Libyam jacet,
Et sparsus Garamas tenet.
Arctous polus obruet,
Quidquid subjacet axibus,
Et siccus Boreas ferit.
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Coeli regia concidens
Ortus atque obitus trahet.
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua, et chaos.
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.
Quis mundum capiet locus?
Discedet via Tartari,

---

v. 1115) *mors aliqua*) Non audiendus Heinsius, qui *nox alia* reponit. Lucretius V. v. 383:

tantopere inter se cum maxima Mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello:
Nonne vides aliquam longi certaminis illis
Posse dari finem?

Idem VI. v. 565:

Et metuunt, magni Naturam credere Mundi
Exitiale aliquod tempus clademque manere.

Plinius Hist. Nat. II. 9. 12. *misera hominum mente — in defectibus scelera, aut mortem aliquam siderum pavente.* Noster Epist. 71. *totus hic rerum omnium contextus — non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet.*

Fractis ut pateat polis?
An quod dividit aethera
A terris spatium, sat est
Et mundi nimium malis?
Quis tantum capiet nefas
Fati? quis superus locus
Pontum, sidera, Tartara,
Regna unus capiet tria?
Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus.

1120) *Stratis ut pateat polis*) Melius in Florentino legitur *Fractis.* Infra v. 1136:

hinc et hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.

et v. 1150:

frange, quem perdis, polum.

Seneca Quaest. Nat. VI. 32. *frangatur licet coelum — securus adspiciet ruptis compagibus dehiscens solum.* Horatius Od. III. 3. 7:

Si fractus inlabatur orbis,
Inpavidum ferient ruinae.

Eadem verba confunduntur apud Ovidium Fast. I. v. 563.

1125) *quis superis locus*) Rectius editio Parisiensis anni 1515. habet: *quis superus locus*, id est, Tartaro superior, ut inferis passim opponuntur *superi.* Noster Hipp. v. 145:

Si, quod maritus supera non cernit loca —

Plura Oudendorp. ad Lucan. III. v. 702. et VII. v. 770.

ACTUS QUARTUS.

HERCULES, CHORUS.

HERC. Converte, Titan clare, anhelantes equos,
Emitte noctem. pereat hic mundo dies,
Quo moriar. atra nube inhorrescat polus.
Obsta novercae. nunc, pater, caecum chaos
Reddi decebat, hinc et hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.
Quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
Nunc partem in omnem, Juppiter, specta poli,
Ne quis gigas Thessalica jaculetur juga,
Et fiat Othrys pondus Encelado leve.
Laxabit atri carceris jam jam fores
Pluton superbus. vincula excutiet patri,
Coelumque reddet. ille, qui pro fulmine
Tuisque facibus natus in terris eram,

Ad Styga revertor. surget Enceladus ferox,
Mittetque, quo nunc premitur, in superos onus.
Regnum omne, genitor, aetheris dubium tibi
Mors nostra faciet. antequam spolium tui
Coelum omne fiat, conde me tota, pater,
Mundi ruina. frange, quem perdis, polum.
CHOR. Non vana times, nate Tonantis,
Jam Thessalicam Pelion Ossam
Premet; et Pindo congestus Athos
Nemus aethereis inseret astris.
Vincet scopulos inde Typhoeus,
Et Tyrrhenam feret Inarimen.
Feret Aetnaeos inde caminos
Scindetque latus montis aperti,
Nondum Enceladus fulmine victus.
Jam te coeli signa sequentur.
HERC. Ego, qui relicta morte, contemta Styge,
Per media Lethes stagna cum spolio redii,
Cum paene trepidis excidit Titan equis;

1163) *Cum pene trepidis)* In duobus veterrimis codicibus est *lassis*, unde Gronovius cum Lipsio faciunt *lapsis*. Ego nihil muto. Lucretius enim V. v. 404. de Phaëthonte sic ait:

Solque cadenti
Obvius aeternam succepit lampada mundi;
Disjectosque redegit equos, junxitque trementes.

Noster autem Hipp. v. 1070. de equis Hippolyti consternatis:

Quacunque rapidos pavidus evexit furor.

Ad rem pertinet illud ex Herc. fur. v. 60:

Ego, quem Deorum regna senserunt tria,
Morior: nec ullus per meum stridet latus
Transmissus ensis: haud meae telum necis
Saxum est, nec instar montis abrupti latus,
Aut totus Othrys; non truci rictu Gyges
Pindo cadaver obruit toto meum:
Sine hoste vincor: quodque me torquet magis,
(O misera virtus!) summus Alcidae dies
Nullum malum prosternit. impendo, hei mihi,
In nulla vitam facta. prô mundi arbiter,
Superique, quondam dexterae testes meae!
Prô cuncta tellus, Herculis vestri placet
Mortem perire? dirus o nobis pudor!
O turpe fatum! femina Herculeae necis
Auctor feretur: auctor Alcides quibus?
Invicta si me cadere feminea manu

Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pavidumque solem.

1167) *nec instar montis abrupti*) Supple *montis*, et confer de hac ejusdem nominis ellipsi Sanct. Minerv. p. 542.

1171) *O misera virtus!*) Versus integros, quibus virtutem accusat Hercules, ex antiqua Tragoedia adducit Plutarchus in: De superstitione, 1:

ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἤσκουν.

1177) *foemina Herculeae necis*) Adposite Germanicus moribundus apud Tacitum An. II. 71. *illacrymabunt, quondam florentem et tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse.*

1179) *Invicta si me*) Heinsius *Invita* volebat. Sed idem Seneca Epist. 30. *invictam necessitatem* dixit.

Voluere fata, perque tam turpes colos
Mea mors cucurrit, cadere potuissem, hei mihi,
Junonis odio: feminae caderem minis,
Sed coelum habentis. Si nimis, Superi, fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas
Vires Amazon. feminae cujus manu
Junonis hostis vincor? hinc gravior tui,
Noverca, pudor est. quid diem hunc laetum vocas?
Quid tale tellus genuit iratae tibi?
Mortalis odia femina excessit tua.
Adhuc ferebas esse te Alcidae imparem.
Victa es duobus: pudeat irarum Deos.
Utinam meo cruore satiasset suos
Nemeaea rictus pestis! aut centum anguibus
Vallatus hydram tabe pavissem mea!
Utinam fuissem praeda Centauris datus!
Aut inter umbras victus, aeterno miser

1182) *foeminae caderem minis*) *minae* dicuntur pro re minas firmante, intentatique periculi discrimine. Sic et infra v. 1319:

Jam fracta, jam satiata, quid pascis minas?

v. 1381:

redeuntis minas
Ferrem ruinae.

v. 1462:

cur minis nostris caret?

Hipp. v. 952:

imminentes regis inferni minas.

Similiter Graecis ἀπειλὴ dicitur.

Saxo sederem, spolia cum traxi ultima
Fato stupente. nunc ab inferna Styge
Lucem recepi, Ditis evici moras.
Ubique me mors fugit, ut leto inclito
Fortis carerem. o ferae victae, o ferae!
Non me triformis sole conspecto canis
Ad Styga reduxit. non sub Hesperio polo
Ibera vicit turba pastoris feri;
Non gemina serpens. perdidi mortem, hei mihi,
Toties honestam. titulus extremus quis est?
CHOR. Viden', ut laudis conscia virtus
Non Lethaeos horreat amnes?
Pudet auctoris, non morte dolet.
Cupit extremum finire diem
Vasta pressus mole gigantum,
Et montiferum Titana pati,
Rabidaeque necem debere ferae.
Si tua causa est miseranda necis,

1200) *ut leto inclito Fortis carerem*) Recta haud dubie lectio. Apud Tacitum An. II. 71. Germanicus moribundus: *Si fato concederem, justus mihi dolor, etiam adversus deos, esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra juventam, praematuro exitu raperent. nunc, scelere Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim.* ubi vide Ernestium.

1214) *Si tua causa est miseranda necis*) Consilium est,

Quod nulla fera est, nullusque gigas,
Jam quis dignus necis Herculeae

---

quod insanabili morbo laborantibus et alii dederunt. Plinius Epist. VI. 24. 3. *Maritus ex diutino morbo circa velanda corporis ulceribus putrescebat: uxor, ut inspiceret, exegit; neque enim quenquam fidelius judicaturum, possetne sanari. Vidit, desperavit: hortata est, ut moreretur, comesque ipsa mortis, dux immo et exemplum et necessitas fuit. Nam se cum marito ligavit, abjecitque in lacum.* Seneca Epist. 77. *Tullius Marcellinus, adolescens quietus et cito senex, morbo et non insanabili correptus, sed longo et molesto et multa imperante, cepit deliberare de morte. convocavit complures amicos; unusquisque, aut quia timidus erat, id illi suadebat, quod sibi suasisset: aut quia adulator et blandus, id consilium dabat, quod deliberanti gratius fore suspicabatur. Amicus noster Stoicus, homo egregius, et ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus, videtur mihi optime illum cohortatus. Sic enim coepit: Noli, mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna deliberes. Non est res magna vivere. omnes servi tui vivunt, omnia animalia. magnum est, honeste mori, prudenter, fortiter.* Nam qui morbo moriuntur, male moriuntur. Philippus Thessalonicensis Epigr. XXV. v. 6:

ἄνδρας Ἄρης κτείνει, δειλοτέρους δὲ νόσος.

Apud Apollonidam Epigr. XII. v. 6. Aelius Ausonius, gladio suo incumbens, ait:

αὐτὸς ἑκὼν ἐδάμην, μὴ νόσος εὖχος ἔχοι.

et similiter Nonni Dionys. p. 604. v. 15. Orontes, *ne* ignobili mortis instrumento, thyrso cadat, voluntariam sibi mortem consciscit. Ad verba quod adtinet, *tua causa necis* dicitur pro, tuae causa necis, frequenti vocum trajectione. Cicero Epist. ad Div. XIII.

Superest auctor, nisi dextra tui?
HERC. Heu qualis intus scorpios, quis fervida
Plaga revulsus cancer infixus meas
Urit medullas? sanguinis quondam capax
Tumidi vigor pulmonis arentes fibras
Distendit: ardet felle siccato jecur,
Totumque lentus sanguinem avexit vapor.
Primam cutem consumsit, hinc aditus nefas
In membra fecit, abstulit costis latus,

---

1. 7. *Aedificationis* t u a e *consilium mea commendatione nolebam impediri.* Ibid. 16. 7. *Testimonium* m e u m *de eo judicii — ei libenter dedi.* ubi plura Cortius, quem vide. *dextra tui* exquisitius quam *tua*, ut alii legunt. Exempla constructionis dabunt Perizonius ad Sanct. Minerv. pag. 251. et Davisius ad Caesaris Comment. de Bel. Gal. I. 4.

1218) *qualis intus scorpios*) Bene habet *scorpios.* vide Criticos ad Ov. Met. II. v. 196.

1221) *Tumidi jecur pulmonis*) Gronovio tentatum *decus pulmonis.* Lege: *vigor pulmonis*, id est, vigens ille pulmo. Seneca de Provid. 3. *male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paullatim frigore inducto* v e n a r u m v i g o r *constitit.* Cicero Tusc. Disp. I. 16. *Has tamen imagines loqui volunt, quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum,* p u l m o n u m v i *et figura potest.* Sanguineum vero pulmonem noster dixit in Oedipo v. 368:

non animae capax
In parte dextra pulmo sanguineus jacet.

Exedit artus penitus, et totas malum
Hausit medullas. ossibus vacuis sedet.
Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
Discussa ruptis mole collapsa fluunt.
Defecit ingens corpus, et pesti satis
Herculea non sunt membra. prô, quantum est malum,
Quod esse vastum fateor? o dirum nefas!
En cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
Quid jam supersit. Herculem agnoscis, pater?
Hisne ego lacertis spolia Nemeaei mali
Elisa pressi? tensus hac arcus manu
Astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
His ego citatam gressibus vici feram,
Radiante clarum fronte gestantem caput?
His fracta Calpe manibus elisit fretum?

1226) *et totas malum Hausit medullas*) In Florentino *costus*, unde Heinsius conjicit *tostas*. Sed *hauriendi* verbum postulat *totas*, et sic noster Hipp. v. 279:

Labitur totas furor in medullas.

Ovidius Met. IX. v. 483:

ut jacui totis resoluta medullis.

Prudentius Hymno VI. v. 15:

Mens aestuans procellis,
Curisque sauciata
Totis bibit medullis
Obliviale poclum.

1240) *elisit fretum*) Gronovius malebat *emisit*. Sed *elisit* dictum videtur respectu angustiarum, per quas Gaditanum penetrat fretum. *Angustissimum pelagus* vocat Mela II. 6. 60.

His tot ferae, tot scelera, tot reges jacent?
His mundus humeris sedit? haec moles mea est?
Haecne illa cervix? has ego opposui manus
Coelo ruenti? quis mea custos manu
Trahetur ultra Stygius? ubi vires prius
In me? sepultae. quid patrem appello Jovem?
Quid per Tonantem vindico coelum mihi?
Jam jam meus credetur Amphitryon pater.
Quaecunque pestis viscere in nostro lates,

1244) *cujus, ô, custos manu*) Lege cum Florentino: *quis mea custos manu Trahetur ultra Stygius,* id est, nullus Cerberus. Idem Hercules infra v. 1372:

Talem subactis Herculem ostende inferis,
Nil inde ducam.

1245) *ô, vires prius in me sepultae*) Florentinus et Melisseus: *ubi vires.* Distingue cum Lipsio: *ubi vires prius in me? sepultae.* Quinctilianus Declamat. I. extr. *Ubi nunc meae vires? ubi impetus? ubi dextra tam fortis? uno ictu, puto, ne me quidem ipsum mihi continget occidere. vires prius in me* scilicet *obvat.* De hac ellipsi conf. Sanct. Minerv. p. 572. ibique Perizon. Ad *sepultae* quod adtinet, gemina vox est Milonis Crotoniatae, qui, cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse, *At hi quidem jam mortui sunt.* Quod relatum legimus apud Ciceronem in: de Senect. §. 27.

1246) *quid patrem appello Jovem*) Simile dictum Alexandri vulnerati refert Seneca Epist. 59. *Omnes, inquit, jurant me Jovis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.*

Procede. quid me vulnere occulto petis?
Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
Quae pigra Tethys genuit, aut Maurum premens
Ibera Calpe litus? o dirum malum!
Utrumne serpens squallidum crista caput
Vibrans? an aliquod est mihi ignotum malum?
Numquid cruore es genita Lernaeae ferae?
An te reliquit Stygius in terris canis?
Omne es malum, nullumque. quis vultus tibi est?
Concede saltem scire, quo peream malo.
Quaecunque pestis, sive quaecunque es fera,
Palam timeres. quis tibi in medias locum
Fecit medullas? ecce, derepta cute

1262) *ecce, derepta cute*) Florentinus *direpta*. Significat, quod saepe cum altero confunditur, etiam apud Senecam Agam. v. 693. *derepta*. Vulgo legunt *dirupta*, probante quidem Wakefieldo ad Lucret. VI. v. 538. sed male. Nam lenius est quam pro re. *derepta* convenit verbis Ovidii Met. IX. v. 167. de textili peste:

Qua trahitur, trahit illa cutem.

Et sic idem Ovidius Met. V. v. 387. de Marsya:

Clamanti cutis est summos d e r e p t a per artus:
Nec quidquam, nisi vulnus erat. cruor undique manat:
D e t e c t i que patent nervi: trepidaeque s i n e u l l a
P e l l e micant venae, salientia viscera possis
Et perlucentes numerare in pectore fibras.

Viscera manus detexit, ulterior tamen
Inventa latebra est. o malum simile Herculi!
Unde iste fletus? unde in has lacrimae genas?
Invictus olim vultus et nunquam malis
Lacrimas suis praebere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
Quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.
Tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
Tibi cessit uni. primo, et ante omnes mihi
Fletum abstulisti. durior saxo horrido
Et chalybe vultus, et vaga Symplegade,

Rursus, huc alludens, in Ibide v. 553. inquit:
Nudave derepta pateant tua viscera pelle.

1271) *ante omnes mihi Fletum abstulisti*) *ante omnes*, id est, coram omnibus. Paulo infra v. 1276:
Flentem, gementem, summe pro rector poli,
Me terra vidit.
Hercules apud Sophoclem in Trachiniis, interprete Cicerone II. Tusc. Disp. 8:
Heu virginali more ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo.
et mox:
Videte cuncti! tuque coelestum sator.
Fletum abstulisti, invito expressisti. Sic et infr. v. 1711:
si voces dolor
Abstulerit ullos.

1272) *durior saxo*) Moschus Idyl. IV. v. 44:
πέτρης ὄγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου
καρτερὸν ἐν στήθεσι.

Ritus meos infregit, et lacrimam expulit.
Flentem, gementem, summe prô rector poli,
Me terra vidit. quodque me torquet magis,
Noverca vidit. urit ecce iterum fibras,
Incaluit ardor. unde nunc fulmen mihi?
CHOR. Quid non possit superare dolor?
Quondam Getico durior Aemo,
Nec Parrhasio lentior axe,
Saevo cessit membra dolori;
Fessumque movens per colla caput
Latus alterno pondere flectit.
Fletum virtus saepe resorbet.

1274) *Rictus meos infregit*) Nihil verius Heinsii emendatione: *Ritus meos infregit*, quam ipse confirmat ex Stat. Theb. XII. (v. 535.):

hanc (Hippolyten) patriae ritus fregisse severos
Atthides obliquae secum mirantur operto
Murmure.

Plinius Hist. Nat. XXIV. 1. *Magnitudo populi Romani perdidit ritus, vincendoque victi sumus.* Adde, quas ipse modo v. 1266. voces edidit Hercules:

Invictus olim vultus, et nunquam malis
Lacrimas suis praebere consuetus (pudet!)
Jam flere didicit.

Ritus et *rictus* crebro confundi, ostendit Burmannus ad Lucan. VI. v. 507.

Ibid.) *lacrimam extulit*) *expulit* bene Florentinus. *Efferendi* verbum lenius est, quam durities illa postulat.

1278) *Incaluit ardor*) Heinsius *Invaluit*. Sed alterum imitatione Nasonis dictum est. Met. IX. v. 161:

Incaluit vis illa mali.

Sic Arctoas laxare nives,
Quamvis tepido sidere Titan
Non tamen audet, vincitque faces
Solis adulti glaciale jubar.

HERCULES, ALCMENA.

HERC. Converte vultus ad meas clades, pater.
Nunquam ad tuas confugit Alcides manus.
Non, cum per artus hydra foecundum meos
Caput explicaret. inter infernos lacus
Possessus atra nocte cum Fato steti;
Nec invocavi. tot feras vici horridas,
Reges, tyrannos; non tamen vultus meos
In astra torsi. semper haec nobis manus
Votum spopondit. nulla propter me sacro
Micuere coelo fulmina. hic aliquid dies
Optare jussit. primus audierit preces,
Idemque summus. unicum fulmen peto.

1289) *Solis adusti*) Scribendum de Zinzerlingii conjectura: *Solis adulti*, id est, aestivi, ut interpretatur Wernsdorfius, hunc locum comparans ad Petronii de Mutat. Reip. Rom. v. 148:

Est locus Herculeis aris sacer, hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
Coelum illic cecidisse putes: non solis adulti
Mansuescit radiis, non verni temporis aura:
Sed glacies concreta riget, hiemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.

Giganta crede. non minus coelum mihi
Asserere potui. dum patrem verum puto,
Coelo peperci. sive crudelis pater,
Sive es misericors, commoda nato manum
Properante morte, et occupa hanc laudem tibi.
Vel, si piget, manusque detrectat nefas,
Emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindum ferant,
Aut te, Ossa, qui me monte projecto opprimant.
Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro. mitte Gradivum trucem;
Armetur in me dirus; est frater quidem,
Sed ex noverca. tu quoque Alcidae soror
Tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
Jaculare, Pallas. supplices tendo manus
Ad te, noverca. sparge tu saltem, precor,

1306) *commoda gnato manum. Propera ante mortem*) Lege cum Florentino: *Properante morte*, et junge: *commoda gnato manum Properante morte*, id est, perime gnatum cita morte. Nam, ut ait Euripides Hipp. v. 1047:

ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ.

et transtulit noster a Sophocle, cujus in Trachiniis v. 1042. Hercules ad Plutonem:

εὔνασόν μ', εὔνασον,
ὠκυπέτᾳ μόρῳ
τὸν μέλεον φθίσας.

Telum. perire feminae possum manu.
Jam fracta, jam satiata, quid pascis minas?
Quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides.
Et nulla tellus, nulla me vidit fera
Te deprecantem. nunc mihi irata quidem
Opus est noverca. nunc tuus cessat dolor.
Nunc odia ponis. parcis, ubi votum est mori?
O terrae et urbes! non facem quisquam Herculi,
Non arma tradet? tela subtrahitis mihi.
Ita nulla saevas terra concipiat feras
Post me sepultum. nec meas unquam manus
Imploret orbis. si qua nascentur mala,
Nascantur ocius. undique infelix caput
Mactate saxis, vincite aerumnas meas.
Ingrate cessas orbis? excidimus tibi?

1330) *Nascatur alius. undique infelix caput*) Optimus liber: *si qua nascentur mala, Nascetur odium undique et.* Repone:

si qua nascentur mala,
Nascantur ocius. undique infelix caput
Mactate saxis.

Supra v. 35. idem Hercules:

Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet videtque.

Herc. fur. v. 938:

Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet, et si quod parat
Monstrum, meum sit.

Adhuc malis ferisque suppositus fores,
Ni me tulisses. vindicem vestrum malis
Eripite, populi. tempus hoc vobis datur.
Pensate merita. mors erit pretium omnium.
ALCM. Quas misera terras mater Alcidae petam?
Ubi natus, ubinam est? certa si visus notat,
Reclinis ecce corde anhelanti aestuat.
Gemit. peractum est. membra complecti ultima,
O nate, liceat. spiritus fugiens meo
Legatur ore. brachia in amplexus cape.
Ubi membra sunt? ubi illa, quae mundum tulit,
Stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
Partem reliquit? HERC. Herculem spectas quidem,
Mater; sed umbram et vile nescio quid mei

1346) *sed umbrae simile nescio qui mei*) In Melisseo codice legitur: *sed umbram et vile nescio quid mei.* ac recte quidem. Apud Sophoclem in Oed. Col. v. 110. Oedipus:

οἰκτείρατ' ἀνδρὸς Οἰδίπου τόδ' ἄθλιον
εἴδωλον· οὐ γὰρ δὴ τόδ' ἀρχαῖον δέμας.

Apud eundem Philoctetes in ejus nominis fabula v. 946:

κοὐκ οἶδ' ἐναίρων νεκρὸν, ἢ καπνοῦ σκιὰν,
εἴδωλον ἄλλως.

ubi plura Brunckius.

Agnosce, mater. ora quid flectis retro,
Vultumque mergis? Herculem dici tuum
Partum erubescis? ALCM. Quis feram mundus novam,
Quae terra genuit? quodve tam dirum nefas
De te triumphat? Herculis victor quis est?
HERC. Nuptae jacentem cernis Alciden dolis.
ALCM. Quis tantus est, qui vincat Alciden, dolus?
HERC. Quicunque, mater, feminae iratae sat est.
ALCM. At unde in artus pestis aut ossa incidit?
HERC. Aditum venenis palla femineis dedit.
ALCM. Ubinam ipsa palla est? membra nudata intuor.
HERC. Consumta mecum est. ALCM. Tantane inventa est lues?
HERC. O mater, hydram, et mille cum Lerna feras

1348) *Vultumque moerens)* *Vultumque mergis* bene Florentinus. id est, dejicis, ut loquitur Val. Flaccus VII. v. 514:

Dejicit hinc vultus aeger pudor.

Quinctilianus Declam. XIX. 4. *Mersis tantum dejectisque luminibus, tanquam unquam flagella sustinuisset, tanquam meis torqueretur oculis, omnes ictus excepit in faciem,* ubi vide Burmannum, hanc lectionem pluribus adstruentem.

Errare mediis crede visceribus meis.
Quae tanta nubes flamma Sicanias bibit?
Quae Lemnos ardens? quae plaga igniferi poli,
Vetans flagranti currere in zona diem?
In ipsa me jactate, prô comites, freta,
Mediosque in amnes. qui sat est Ister mihi?
Non ipse terris major Oceanus meos
Frangit vapores. omnis in nostris malis
Deficiet humor, omnis arescet latex.
Quid, rector Erebi, me remittebas Jovi?
Decuit tenere. redde me tenebris tuis.
Talem subactis Herculem ostende inferis,
Nil inde ducam. quid times iterum Herculem?
Invade mors non trepida. jam possum mori.
ALCM. Compesce lacrimas saltem, et aerumnas doma,
Malisque tantis Herculem indomitum refer,
Mortemque vince. quod soles, vince inferos.
HERC. Si me catenis horridus vinctum suis
Praeberet avidae Caucasus volucri dapem

1361) *flamma Sicanias bibit*) *bibit* pari jure dixit, quo dicit Ovidius Met. IX. v. 172:

sorbent avidae praecordia flammae.

1362) *quae plaga igniferi poli*) Lucanus V. v. 24:

plaga qua torrens, claususque vaporibus axis
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles.

1378) *Praeberet avidae Caucasus*) Florentinus *aliquae,*

Scythia gemente, flebilis gemitus mihi
Non exstitisset. si vagae Symplegades
Utraque premerent rupe, redeuntis minas
Ferrem ruinae. Pindus incumbat mihi
Atque Aemus, et qui Thracios fluctus Athos
Frangit, Jovisque fulmen excipiens Mimas.
Non ipse si in me, mater, hic mundus ruat,
Superque nostros flagret incensus toros
Phoebeus axis, degener mentem Herculis

---

unde Gronovius eleganter conjicit: *aquilae Caucasus volucri dapem.* Nam, ut ait Pindarus Nem. III. v. 139:

ἔστι δ' αἰε-
τὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς,
ὃς ἔλαβεν αἶψα, τη-
λόθε μεταμαιόμενος,
δαφοινὸν ἄγραν ποσίν.

Sed melius nihil mutes, ob similem in Herc. fur. v. 1207. locum:

Rupes ligatum Caspiae corpus trahant,
Atque ales avida.

1384) *Jovisque fulmen excipiens Mimas*) Florentinus *excutiens.* Mendose. Lucanus VII. v. 450:

petet ignibus Oeten,
Immeritaeque nemus Rhodopes, pinusque Mimantis?

1386) *flagret incensus rogos*) *toros* bene Florentinus. hoc est, ut interpretatur Gronovius, lectum, in quo jacebat. Sophocles in Trachiniis v. 901:

καὶ παῖδ' ἐν αὐλαῖς εἶδε κοῖλα δέμνια
στορνύνθ', ὅπως ἄψορρον ἀντῴη πατρί.

Attius in Philoctete:

iacet in lecto humido.

Clamor domaret. mille decurrant ferae,
Pariterque lacerent: hinc feris clangoribus
Aetherea me Stymphalis, hinc taurus minax
Cervice tota pulset, et quidquid fuit
Solum quoque ingens, surgat hinc illinc frequens,
Artusque nostros dirus immittat Sinis.
Sparsus silebo. non ferae excutient mihi,
Non arma gemitus. nil, quod impelli potest.
ALCM. Non virus artus, nate, femineum coquit;
Sed dura series operis; et longus tibi
Pavit cruentos forsitan morbos labor.

1391) *et quidquid furit. Solum quoque ingens surgat, hinc illinc fremens*) Optimus liber, ut jam Ascensius edidit, *quidquid fuit*. Repone: *et quidquid fuit Solum quoque ingens, surgat hinc illinc frequens,* hoc est, quae monstra singula quoque terribilia fuerint, gregatim undique in me incurrant.

1393) *dirus immittat Sinis*) *emittat* legendum suspicatur Valckenaer ad Euripid. Hipp. v. 977. quia Sinis, ut ait Ovidius in Ibide v. 411,

trabes pressas ab humo mittebat in auras.

Sed *artus immittat* recte Gronovium explicuisse puto: alligatos arbori flexae remittat et distrahi faciat. vide Ipsum ad Senec. III. de Ira cap. 6. et Gifan. Ind. Lucret. in *immissis habenis*.

1394) *Sparsus silebo*) *Sparsus* dixit, Ovidium imitatus, qui Met. VII. v. 440. de eodem:

agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.

HERC. Ubi morbus? ubinam est? estne adhuc aliquid mali
In orbe? me eccum! veniat huc. aliquis mihi

1399) *Ubi mors? ubi illa? testis est aliquis mali? Intendat arcus. nuda sufficiet manus. In orbe mecum veniat huc aliquis mihi. Procedat*) Florentinus: *Ubi morbus ubinam est, desine adhuc aliquid mali. In orbe mecum veniat, huc aliquis mihi intendat arcum.* Lege:

Ubi morbus? ubinam est? estne adhuc aliquid mali
In orbe? me eccum! veniat huc. aliquis mihi
Intendat arcus. nuda sufficit manus.
Procedat, agedum, huc.

Pari modo saevit apud Cointum Smyrnaeum III. v. 69. Achilles, letaliter vulneratus:

τίς νύ μοι αἰνὸν ὀϊστὸν ἐπιπροέηκε κρυφηδόν;
τλήτω μευ κατέναντα, καὶ εἰς ἀναφανδὸν ἰέσθω,
ὄφρα κέ τοι μέλαν αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα χυθείη
ἡμετέρῳ περὶ δουρὶ, καὶ ἄϊδα λυγρὸν ἵκηται·
οἶδα γὰρ, ὡς οὔτις με δυνήσεται, ἐγγύθεν ἐλθὼν,
ἐγχείῃ δαμάσασθαι ἐπιχθονίων ἡρώων.
οὐδ᾽ εἴπερ στέρνοισι μάλ᾽ ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσιν,
ἄτρομον ἦτορ ἔχῃσι λίην, καὶ χάλκεος εἴη.
κρύβδα δ᾽ ἀνάλκιδες αἰὲν ἀγαυοτέρους λοχόωσι·
τῷ μευ ἴτω κατέναντα, καὶ εἰ θεὸς εὔχεται εἶναι —

intendat arcus dictum est, ut in Medea v. 916:

quae perfido
Intendis hosti tela?

nec aliud verba significant, quam: inermis adversus armatum pugnabo. Supra v. 57. idem Hercules:

quanta nunc fregi mala,

Intendat arcus. nuda sufficiet manus.
Procedat, agedum, huc. ALCM. Hei mihi,
sensum quoque
Excussit ille nimius impulsum dolor.
Removete, quaeso, tela, et infestas, precor,
Rapite hinc sagittas. igne suffusae genae
Scelus minantur. quas petam latebras anus?
Dolor iste furor est. Herculem solus domat.
Cur deinde latebras aut fugam vecors petam?
Obire forti meruit Alcmene manu.
Vel scelere pereat, antequam letum mihi
Ignavus aliquis mandet, ac turpis manus
De me triumphet. ecce, lassatus malis

Quot scelera nudus? quidquid immane obstitit,
Solae manus stravere.

et Herc. fur. v. 1173:

En nudus asto, vel meis armis licet
Petas inermem.

Seneca de Benef. V. 4. *tam par tibi sum, quam multis armatissimis nudi, aut leviter armati.*

1405) *igne suffusae genae)* Codices quidam *suffuso.* Minus recte. Silius XI. v. 219:

Suffuderat ora
Sanguis, et a torvo surgebant lumine flammae.

1409) *Obire forti meruit)* Alii *meminit.* Perperam. Lucianus in Tyrannicida 8: *ἐλείπετο δὲ ὁ γέρων ἔτι μόνος ἄνοπλος, ἀποβεβληκὼς τοὺς φύλακας, ἀπολωλεκὼς τὸν μέγαν ἐκεῖνον αὐτοῦ δορυφόρον, ἔρημος, οὐδὲ γενναίας ἔτι χειρὸς ἄξιος.*

1411) *turpis manus)* Cicero Tusc. Disp. III. 17. *Quid est autem nequius aut turpius effoeminato viro?*

Sopore fessas alligat venas dolor,
Gravique anhelum pectus impulsu quatit.
Favete, superi, si mihi natum inclitum
Miserae negatis; vindicem saltem, precor,
Servate terris. abeat excussus dolor,
Corpusque vires reparet Herculeum suas.

HYLLUS, ALCMENA, HERCULES, PHILOCTETES, muta persona.

HYL. Pro lux acerba, pro capax scelerum dies!
Nurus Tonantis occidit. natus jacet.
Nepos supersum. scelero materno hic periit;
Fraude illa capta est. quis per annorum vices,
Totoque in aevo poterit aerumnas senex
Referre tantas? unus eripuit dies
Parentem utrumque. cetera ut sileam mala,
Parcamque fatis, Herculem amitto patrem.
ALCM. Compesce voces inclitum Alcidae genus,

1424) *unus eripiet dies)* Florentinus *eripuit.* Etsi enim luctabatur adhuc cum morte Hercules, tamen pro deposito habebatur, ut a Gronovio scite notatum est. Supra v. 751. idem Hyllus:

O mater, abiit.

et v. 758:

Hercules toto jacet
Mundo gemendus.

1426) *Parcamque fatis)* id est, ne fata onerem, retexendo calamitatem meam.

Miseraeque fato similis Alcmenae nepos.
Longus dolorem forsitan vincet sopor.
Sed ecce lassam deserit mentem quies,
Redditque morbo corpus, et luctus mihi.
HERC. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin jugo.
Et inter astra positus evasi genus
Mortale tandem. quis mihi coelum parat?
Te, te, pater, jam video: placatam quoque
Specto novercam. qui sonus nostras ferit
Coelestis aures? Juno me generum vocat.
Video nitentem regiam clari aetheris,
Phoebique tritam flammea zonam rota.
Cubile video noctis. hinc tenebras vocat.
Quid hoc? quis axem cludit, et ab ipsis, pater,
Deducit astris? ora Phoebeus modo
Afflabat axis. tam prope a coelo fui.
Trachina video. quis mihi terras dedit?
Oete modo infra steterat, ac totus fuit

1440) *Cubile video noctis*) Heinsius refingit: *Subitae quid ecce noctis?* quia *Cubile noctis* aliquanto dictum sit insolentius. At sic etiam dixit Statius, domum Somni describens, Theb. X. v. 84:

> *Stat super occiduae nebulosa cubilia noctis*
> *Aethiopasque alios, nulli penetrabilis astro*
> *Lucus iners.*

1445) *Modo nempe me infra*) Florentinus: *Oetee modo inferas te peracto tutus fuit*, unde Gronovius ingeniose ac feliciter, ut solebat, veram lectionem elicuit: *Oete modo infra steterat ac totus fuit Suppositus orbis.* haud mirum esse, quum videretur sibi e coelo

Suppositus orbis. tam bene exciderat, dolor.
Cogis fateri. parce, et hanc vocem occupa.
Haec, Hylle, dona matris. hoc munus parat.
Utinam liceret stipite ingesto impiam
Effringere animam, quale Amazonium malum
Circa nivalis Caucasi domui latus.
O clara Megara, tunc, cum furerem, mihi
Conjux fuisti? stipitem atque arcus date.
Dextra inquinetur. laudibus maculam imprimam.
Summus legatur femina Herculeus labor.
HYL. Compesce diras, genitor, irarum minas.
Habet. peractum est. quas petis poenas, dedit.
Sua peremta dextera mater jacet.
HERC. Caeci dolores. manibus irati Herculis
Occidere meruit. perdidit comitem Lichas.
Saevire in ipsum corpus exanime impetus
Atque ira cogit. cur minis nostris caret?
Ipsum cadaver pabulum accipiant ferae.
HYL. Plus misera laeso doluit. huic aliquid quoque
Detrahere velles. occidit dextra sua,
Tuo dolori, plura, quam poscis, tulit.
Sed non cruentae sceleribus nuptae jaces,

---

despicere inferiora, potissimum apparuisse falso visui Oeten, in qua erat.

1459) *Caeci dolores*) interprete Heinsio, sunt, quorum causa ignoratur. vide Ipsum ad Ov. Met. III. v. 490.

1466) *Tuo dolore, plura, quam poscis, tulit*) *Tuo dolori*

Nec fraude matris. Nessus hos struxit dolos,
Ictus sagittis qui tuis vitam exspuit.
Cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessusque nunc has exigit poenas sibi.
HERC. Habet. peractum est. fata se nostra
explicant.
Lux ista summa est. quercus hanc sortem
mihi
Fatidica quondam dederat, et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu nemus:

Florentinus, et recte. *τοῦ θυμοῦ μικροτέραν δίκην* e contrario dicit Auctor epistolarum, quae sub Phalaridis nomine feruntur, Ep. 30.

1475) *Cirrhaea quatiens templa mugitu nemus*) *nemus* vocat Delphicam laurum, quod latioribus esset foliis, et fruticosissimis ramis. vid. Musgrave ad Euripid. Andromach. v. 1118. Heinsius, qui *Deus* vel *specus* legendum suspicatur, non meminerit, *nemus* et de una arbore dici. Sic in Oedipo v. 542:

Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget, et magno ambitu
Diffusa ramos, una defendit nemus.

Alia exempla dabit Burmannus ad Ov. Her. XV. v. 160. *Parnassius mugitus* est responsum Apollinis. *vocem Parnasiam* dixit Val. Flaccus III. v. 618. Quod ad geminum oraculum adtinet, Dodonaeum Delphico confirmatur. Simile quid refert Plutarchus II. Lacon. Apophthegm. 4. de Agesilao: *βουλόμενος δὲ τὸν πρὸς τὸν Πέρσην συστήσασθαι πόλεμον, ἕνεκα τοῦ ἐλευθερῶσαι τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἕλληνας, τῷ κατὰ Δωδώνην Διὸς ἐχρήσατο μαντείῳ. κελεύσαντος δὲ ὅπερ ἐστὶν ὡς δοκεῖ στρατεύεσθαι, τὸ χρησθὲν ἀνήγγειλε*

„Dextra peremti, victor Alcide, viri
„Olim jacebis. hic tibi emenso freta,
„Terrasque et umbras, finis extremus datur.
Nil querimur ultra. decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculis victor foret.
Nunc mors legatur clara, memoranda, inclita,
Me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
Caedatur omnis silva, et Oetaeum nemus
Concipiat ignes. Herculem accipiat rogus.
Sed ante mortem. tu genus Poeantium,
Hoc triste nobis, juvenis, officium appara.
Herculea totum flamma succendat diem.
Ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
Est clara captas inter, in vultu genus
Regnumque referens, Euryto virgo edita,
Iole. tuis hanc facibus et thalamis para.
Victor cruentus abstuli patriam, lares,

τοῖς ἐφόροις. αἱ δὲ ἐκέλευσαν αὐτὸν καὶ εἰς Δελφοὺς ἀφικόμενον περὶ τῶν αὐτῶν πυνθάνεσθαι. πορευθεὶς οὖν εἰς τὸ μαντεῖον, ἐπηρώτησεν οὕτως· Ἄπολλον, ἦ δοκεῖ σοι, ὃ καὶ τῷ πατρί; συναινέσαντος δὲ, αἱρεθεὶς οὕτως ἐστρατεύσατο.

1484) *Suscipiat ignis*) Mss. omnes *ignem*. Florentinus quoque *Concipiat*. Legendum igitur, ut ex parte vidit Gruterus: *et Oetaeum nemus Concipiat ignes*. Ovidius Met. I. v. 255:

Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
Conciperet flammas, longusque ardesceret axis.

Nihilque miserae praeter Alciden dedi;
Et iste rapitur. penset aerumnas suas:
Jovis nepotem foveat, et natum Herculis.
Tibi illa pariat, quidquid ex nobis habet.
Tuque ipsa planctus pone funereos, precor,
O clara genitrix. vivit Alcides tuus.
Virtute nostra pellicem feci tuam
Credi novercam. sive nascente Hercule
Nox illa certa est, sive mortalis meus
Pater est: licet sit falsa progenies mihi;
Materna culpa cesset, et crimen Jovis.
Merui parentem, contuli coelo decus.
Natura me concepit in laudes Jovis.
Quin ipse quamquam Juppiter credi meus
Pater esse gaudet. parce jam lacrimis, parens.
Superba matres inter Argolicas eris.
Quid tale Juno genuit, aethereum gerens
Sceptrum, et Tonanti nupta? mortali tamen
Coelum tenens invidit? Alciden suum
Dici esse voluit. perage nunc, Titan, vices
Solus relictus. ille, qui vester comes
Ubique fueram, Tartara et Manes peto.
Hanc tamen ad imos perferam laudem inclitam,
Quod nulla pestis vicit Alciden palam,
Omnemque pestem vicit Alcides palam.

CHORUS.

O decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate vapores

Lassa nocturnae levat ora bigae,
Dic sub Aurora positis Sabaeis,
Dic sub Occasu positis Iberis,
Quique ferventi quatiuntur axe,
Quique sub plaustro patiuntur Ursae;
Dic ad aeternos properare Manes
Herculem, et regnum canis inquieti,
Unde non unquam remeavit ullus.
Sume, quos nubes radios sequantur.
Pallidus moestas speculare terras,
Et caput turpes nebulae pererrent.
Quando, prô Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequeris?
Quas manus, orbis miser, invocabis,
Si qua sub Lerna numerosa pestis
Sparget in centum rabiem dracones?
Arcadum si quis, populi vetusti,

1529) *Pallidus moestas*) Heinsius, probante Burmanno ad T. II. Anthol. Lat. p. 501., reponit *Squallidus* ex Ovidii Met. II. v. 381:

Squallidus interea genitor Phaëthontis, et expers
Ipse sui decoris.

ubi tamen nihilo pejus foret *Pallidus*, cum dicat Claudianus XLVIII. v. 3. de Sole deficiente:

quae causa jubet pallescere Solem.

1534) *numerosa pestis*) Ovidius Met. IX. v. 70. de eadem:

Vulneribus foecunda suis erat illa, nec ullum
De centum numero caput est impune recisum.

1536) *Arcadum si quis, populi vetusti*) Non dissimili modo locutus est infra v. 1884:

Fecerit silvas aper inquietas?
Thraciae si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivosae
Sparget humano stabulum cruore?
Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati superi per urbes
Jusserint nasci? jacet omnibus par,
Quem parem tellus genuit Tonanti.
Planctus immensas resonet per urbes,
Et comas nullo cohibente nodo,
Foemina exertos feriat lacertos;
Solaque obductis foribus Deorum,
Templa securae pateant novercae.
Vadis ad Lethen Stygiumque litus,
Unde te nullae referent carinae.
Vadis ad Manes miserandus, unde
Morte devicta tuleras triumphum.
Umbra nudatis venies lacertis,
Languido vultu, tenuique collo:
Teque non solum feret illa puppis.
Non tamen viles eris inter umbras;
Aeaconque inter, geminosque Cretas,
Facta discernes. feries tyrannos.

Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phoebo nascente genus.

1547) *Foemina exertos feriat lacertos*) Florentinus: *Foeminae exertos feriant*, quae vulgaris esset ratio. vid. Broukhus. ad Propert. I. 11. 9.

Parcite, o dites, inhibete dextras.
Laudis est, purum tenuisse ferrum.
Dumque regnabas, minimum procellis

1560) *o dites*) id est, reges. Nimirum, ut ait Horatius I. Epist. 6. 37:

uxorem eum dote, fidemque et amicos,
Et genus, et formam regia pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.

Idem II. Sat. 3. 94:

omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus — Sapiensne? Etiam! et rex,
Et quicquid volet.

Lucretius V. v. 1112:

Posterius res inventa est, aurumque repertum,
Quod facile et validis, et pulchris, dempsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quam lubet et fortes, et pulchro corpore creti.

Hinc *ducentem ad se cuncta pecuniam* dixit Horatius IV. Od. 9. 38. Similem vero ad potentes ἀποστροφὴν habuimus in Herc. fur. v. 746:

Quisquis est placide potens,
Dominusque vitae servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animaeque parcit: longa permensus diu
Felicis aevi spatia, vel coelum petit,
Vel laeta felix nemoris Elysii loca
Iudex futurus. Sanguine humano abstine,
Quicunque regnas.

1562) *minimum cruentis In tuas urbes licuisse fatis*) Florentinus: *minus in procellis.* Nihil verius Bothii

In tuas urbes licuisse fati.
Sed locum virtus habet inter astra.
Sedis Arctoae spatium tenebis?
An gravis Titan ubi promit aestus?
An sub Occasu tepido nitebis,
Unde commisso resonare ponto
Audies Calpen? loca quae sereni
Deprimes coeli? quis erit recepto
Tutus Alcida locus inter astra?
Horrido tantum procul a Leone
Det pater sedes, calidoque Cancro;
Ne tuo vultu tremefacta leges
Astra conturbent, trepidetque Titan.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam silvis hiemes recident,
Vel comam silvis revocabit aestas,
Pomaque autumno fugiente cedent,
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phoebo, comes ibis astris.

---

emendatione: *minimum procellis In tuas urbes licuisse fati*, quam ipse confirmat ex Agamemnonis v. 594:

Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunae movet.

Eadem translatione Plinius dixit in Panegyrico, 66. 3. *Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quam blanditiae Principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos, quam propitios habere?*

Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda;
Ante descendet glacialis Ursae
Sidus, et Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.
Te, pater rerum, miseri precamur,
Nulla nascatur fera, nulla pestis.
Non duces saevos miseranda tellus
Horreat: nulla dominetur aula,
Qui putet solum decus esse regni,
Semper impensum tenuisse ferrum.
Si quid in terris iterum timetur,
Vindicem terrae petimus relictae.
Hem, quid hoc? mundus tonat. ecce, moeret,
Moeret Alcidae pater. an Deorum
Clamor, an vox est timidae novercae?
Hercule an viso fugit astra Juno?
Lassus an pondus titubavit Atlas?
An magis diri tremuere Manes

1586) *tuas laudes populi quiescant*) id est, celebrare cessent. vid. Burman. ad Propert. II. 18. 25.

1595) *mundus tonat*) Apollodorus Bibl. l. II. c. 7, 7. §. 15. de eodem: *καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς, λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι.*

1599) *Lassus an pondus*) Ovidius Met. IX. v. 273: *Sensit Atlas pondus.*

Herculem? et visum canis inferorum
Fugit abruptis trepidus catenis?
Fallimur: laeto venit, ecce, vultu,
Quem tulit Poeas, humerisque tela
Gestat, et notas populis pharetras,
Herculis heres.

ACTUS QUINTUS.

NUTRIX, PHILOCTETES.

NUTR. Errare casus, juvenis, Herculeos, precor,
Vultuque quonam tulerit Alcides necem.
PHIL. Quo nemo vitam. NUTR. Laetus ad- eone ultimos
Invasit ignes? PHIL. Esse jam flammas nihil
Ostendit ille, qui sub hoc mundo Hercules
Immune nil reliquit. en domita omnia.

1612) *Immane nil reliquit*) Florentinus *Immune.* quod praestat. *Immune nil reliquit*, id est, nil intentatum reliquit. Ipse Hercules in Herc. fur. v. 955:
Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
Inferna nostros regna sensere impetus.
Immune coelum est. dignus Alcidae labor.
laudante jam Heinsio, qui eandem lectionem praefert.

NUTR. Inter vapores quis fuit forti locus?
PHIL. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
Et flamma victa est. haec quoque accessit feris.
Inter labores ignis Herculeos abiit.
NUTR. Edissere agedum, flamma quo victa est modo?
PHIL. Ut omnis Oeten moesta corripuit manus,
Huic fagus umbras perdit, et toto jacet
Succisa trunco: flectit hic pinum ferox
Astris minantem, et nube de media vocat;
Ruitura cautes movit, et silvam trahit
Secum minorem. Chaonis quondam loquax
Stat vasta late quercus, et Phoebum vetat,
Ultraque totos porrigit ramos nemus.
Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos. resilit incussus chalybs,

1622) *silvam trahit*) Ovidius Met. VIII. v. 776. in simili re:
Corruit, et multam prostravit pondere silvam.
item Catullus LXIV. v. 109:
illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus omnia frangens.

1627) *resilit excussus chalybs*) Aptior est Florentini codicis lectio *incussus chalybs*, et Heinsio probata, qui confirmat ex Sil. II. (v. 198.):
Occupat, incussa gemina inter tempora clava.
Lucan. III. (v. 491.):
aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat.

Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.
Commota tandem est. tunc cadens latam sui
Duxit ruinam. protinus radios locus
Admisit omnes. sedibus pulsae suis,
Volucres pererrant nemore succiso diem,

---

aliisque veterum locis. Poëta vero noster sibi certamen hic instituit cum Virgilio Aen. II. v. 628:

veluti summis antiquam in montibus ornum,
Quum ferro adcisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Vulneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avolsa ruinam.

1631) *radios locus Admisit omnes*) Heinsius malebat *omnis.* Vulgata confirmatur ex Stat. Theb. IX. v. 534:

Getico qualis procumbit in Haemo
Seu Boreae furiis, putri seu robore quercus
Coelo mixta comas, ingentemque aëra laxat.

1632) *nemore succiso diem*) Delrius notat, in Mog. Herb. Ven. esse *domus,* non *diem:* eoque conjicit: *nemore succiso nemus:* et in sequenti versu: *garrulae pinnis domos.* Gruterus, omnes suos habere, *nemore succiso domus,* idque se recepisse, eraso illo nupero *diem,* ne avorum quidem memoria nato, sed heri. Velle Poëtam, primum nidos avium periisse; deinde tantum nemoris excisum, ut jam lassae ramum nullum invenirent, cui de more insiderent. Sed dissimulat difficultatem, quam necesse est oboriri cuivis diligentius inspicienti hanc lectionem. Quaenam enim illic tam frequentes domus, quas pererrarent illae aves? et quomodo silvestres volucres tam mansuetae, ut pulsae sedibus arborum statim se committerent domibus? *Diem* non est ita nuperum, atque ille velit. Sed et elegans est propriumque auctoris pro aëre:

Quaeruntque lassis garrulae pinnis domos.
Jamque omnis arbor sonuit, et sacrae quoque
Sensere quercus horridam ferro manum,
Nullique priscum profuit ligno nemus.
Aggeritur omnis silva, et alternae trabes
In astra tollunt Herculi angustum rogum.

---

ut in Phoenissis *atra nube subtexens diem Stymphalis*; et in Hercule Furente *pennis condere obductis diem.* At in altero versu, praesertim quum toties in paucis versibus finem faciat *τὸ nemus*, adsentior prorsus Delrio, scripsisse Poëtam: *Quaeruntque lassis garrulae pinnis domos.* hoc est, desiderant suos nidos. Inde vel temeraria vel errans librarii manus in praecedentem versum transtulit, et hunc supplevit adjecto *τῷ nemus.*

Gronovius.

Reposui loco suo *domos.* Virgil. Georg. II. v. 209:

nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illae altum nidis petiere relictis.

1636) *profuit ligno nemus)* Florentinus *luco.* Sed ita luci potius quam nemoris vetustas commemoranda fuisset. Lucus enim sanctior pars nemoris. vid. Burman. ad Ov. Met. III. v. 175. *priscum nemus* est senectae numine sacrum, ut loquitur Statius Theb. VI. v. 93:

Sternitur extemplo veteres incidua ferro
Silva comas, largae qua non opulentior umbrae
Argolicos inter saltusque educta Lycaeos
Extulerat super astra caput. Stat sacra senectae
Numine, nec solos hominum transgressa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes,
Faunorumque greges.

Raptura flammas pinus, et robur tenax,
Et brevior ilex. silva contexit pyram

---

profuit ligno, caedem arbori defendit. Lucanus II. v. 104:

nulli sua profuit aetas.

1639) *Rapit alta flammas pinus*) Itane? jam flammas rapit pinus nondum accenso rogo? accendetur enim demum rogus Herculeus versu ab hinc centesimo ferme, ubi Philoctetes, *Tremente pinum dextera ardentem impuli.* Adeone sui oblitus est bonus Philoctetes? adeone dormitavit optimus Annaeus? haudquaquam medius fidius id crediderim. In Florentino, *Rapitura flammas pinus.* Scribendum videlicet, *Raptura flammas pinus.* Pinguissimi nimirum ligni pinus, cum ex illa faces ut plurimum ab antiquis conficerentur; atque hinc *pinus* pro taeda toties apud poëtas occurrit. ne ignorare jam possimus, cur *raptura flammas* Senecae dicatur pinus; quem ab omni ignominiae ac supinitatis nota jam liberum praestamus. Simile illud Maronianum:

Nascitur et casus abies visura marinos.

Heinsius.

Hoc, in tanta evidentia, recipere non dubitavi.

1640) *Et brevior ilex silva. contexit pyram Populea silva, frondis Herculeae nemus*) Lege et distingue:

Et brevior ilex. silva contexit pyram
Populea, silva, frontis Herculeae decus.

ilicis enim species duae, *minor* et *prolixior*, ut docuit Heinsius ex Columellae IX. IV. (2.). *silva*, *frontis* repetitio, cum emendatione et actu, qualis Virgilii IV. Aen. 248:

Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput etc.

contexit pyram ex Virgilio. VI. Aen. 216:

Populea, silva, frontis Herculeae decus.
At ille, ut ingens nemore sub Nasamonio
Aeger reclini pectore immugit leo,
Fertur. quis illum credat ad flammas rapi?
Vultus petentis astra, non ignes, erant.
Ut pressit Oeten, ac suis oculis rogum
Lustravit omnem, fregit impositus trabes,
Arcumque poscit: Accipe haec, inquit, sate
Poeante, dona; munus Alcidae cape.
Has hydra sensit: his jacent Stymphalides,
Et quidquid aliud eminus vici malum.
Virtute felix juvenis, has nunquam irritas

Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera.

frontis Herculeae decus certae Heinsii conjecturae debetur. Hercule furenti ipse Hercules:

Populea nostras arbor exornet comas.

Chorus ad Herculem ibidem:

Stantes sacrificas comas
Dilecta tege populo.

supra de Hercule:

Cana rigentem populo vinctus comam.

hoc est, alba populo. notum Maronianum illud, *Populus Alcidae gratissima. frondis Herculeae nemus* quo minus tolerari hoc loco possit, facit subsecuta proxime *nemoris* mentio. Haec ille. Plura Marklandus ad Stat. III. Silv. 1. 185.

1649) *munus Alcidae cape)* id est, ita cape, ut in beneficio ponas. Inter *donum* et *munus* quid distet, vide Ernest. Lat. Synonymik I. pag. 367.

1652) *Virtute felix juvenis)* Virtus felicitatis ancora. Pindarus Isth. VI. v. 14:

Mittes in hostem, sive de media voles
Auferre volucres nube, descendent aves,
Et certa praedae tela de coelo fluent.
Nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam:
Librare telum didicit, et certam dare
Fugam sagittis. ipsa non fallunt iter
Emissa nervo tela. tu tantum, precor,
Accommoda ignes et facem extremam mihi.
Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus,
Mecum per ignes flagret. hoc telum Herculem

εἰ γάρ τις ἀνθρώπων δαπάνᾳ τε χαρεὶς
καὶ πόνῳ πράσσει θεοδμάτους ἀρετάς,
σύν τέ οἱ δαίμων φυτεύει
δόξαν ἐπήρατον· ἐσχατιαῖς
ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν θεότιμος ἐών.

1655) *de coelo fluent*) id est, decident vel descendent. Verbi *fluere* elegantiam illustravit Burmannus ad Ovid. III. Amor. 2. 14.

1660) *Accommoda ignes*) Heinsius *Age commoda ignes.* quod gravius est, quam pro re. Hyginus Fab. 36. *Tunc dicitur Philoctetes — accendisse mortalitatem. Ob id beneficium Philocteti Hercules arcus et sagittas donavit.*

1661) *nulla quem capiet manus*) Florentinus *cepit.* quasi non manus cepisset Herculis, aut sequeretur: *si ferre posses.*

1662) *per ignem*) Florentinus et tres alii *per ignes*, merito probante Bothio, quum quatuor unius versus vocabula *m* litera finiantur. Heinsius malebat *peringens.* At magnitudo clavae satis intelligitur ex verbis: *nul-*

Tantum sequatur. hoc quoque acciperes, ait,
Si ferre posses. adjuvet domini rogum.
Tum rigida secum spolia Nemeaei mali
Arsura poscit. latuit in spolio rogus.
Ingemuit omnis turba, nec lacrimas dolor
Cuiquam remisit. mater in luctum furens
Deduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exserta vastos ubera in planctus ferit;
Superosque et ipsum vocibus pulsans Jovem
Implevit omnem voce feminea locum.

---

la quem capiet manus. per ignes explica, dum uror. Lucanus II. v. 56:

perdere nomen
Si placet Hesperium, Superi, collatus in ignem
Plurimus ad terram per fulmina decidat aether.

ubi Burmannum vide.

1669) *Diduxit avidum pectus*) Melius in Florentino legitur *Deduxit.* Ovidius Met. III. v. 480:

Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora,
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.

ubi vide Heinsium, et, qui discrimina verborum *diducere* et *deducere* constituit, Burmannum ad Ov. I. Amor. 7. 48.

1671) *pulsans Jovem*) *pulsari*, observante Barthio ad Stat. Theb. IV. v. 477. omnia dicuntur, quae sollicitantur, evocantur, et quocunque modo poscuntur.

1672) *voce foeminea*) Heinsius malebat *funerea*. Sed *foeminea* est impatiens, et sic Virgilius Aen. XI. v. 878:

percussae pectora matres
Foemineum clamorem ad coeli sidera tollunt.

ubi Servium vide.

Deforme letum, mater, Herculeum facis:
Compesce lacrimas, inquit. introrsus dolor
Femineus abeat. Juno cur laetum diem
Te flente ducat? pellicis gaudet suae
Spectare lacrimas. contine infirmum jecur,
Mater: nefas est ubera atque uterum tibi
Laniare, qui me genuit. et dirum fremens,
Qualis per urbes duxit Argolicas canem,
Cum victor Erebi Dite contemto rediit
Tremente Fato, talis incubuit rogo.
Quis sic triumphans laetus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges tyrannus? quanta pax obitus tulit?

1673) *Deforme letum*) Huc facit illud Ennii:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit.

quod cum adduxisset Cicero de Senect. §. 73. subjicit: *non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur.*

1674) *introrsus dolor*) Sic etiam loquitur in Consolat. ad Polyb. 24. *projice omnem ex toto animo dolorem; sin minus, introrsus abde et contine, ne appareat.*

1679) *qui me genuit*) Plato in Menexeno: *καὶ φέροντες μὲν ἀνδρείως τὰς συμφορὰς, δόξουσι τῷ ὄντι ἀνδρείων παίδων πατέρες εἶναι, καὶ αὐτοὶ τοιοῦτοι· ὑπείκοντες δὲ, ὑποψίαν παρέξουσιν ἢ μὴ ἡμέτεροι εἶναι, ἢ ἡμῶν τοὺς ἐπαινοῦντας καταψεύδεσθαι.*

1685) *quanta pax obitus tulit!*) id est, quam placide mortem obiit. *Pax* enim, interprete Lipsio ad Senec. de Ira III. 41. est animi introrsum compositi et aequabilis tranquillitas; et eadem voce similiter usus est Se-

Haesere lacrimae. cecidit impulsus dolor
Nobis quoque ipsis. nemo morituro ingemit.
Jam flere pudor est. ipsa, quam sexus jubet
Moerere, siccis haesit Alcmene genis;
Stetitque nato paene jam similis parens.
NUTR. Nullasne in astra misit ad superos preces
Arsurus, aut in vota respexit Jovem?
PHIL. Jacuit sui securus, et coelum intuens,
Quaesivit oculis, arce an ex aliqua pater
Despiceret illum. tum manus tendens ait:
Quacunque parte prospicis natum, pater,
Te, te, pater, quem nocte commissa dies
Quaesivit unus, si meas laudes canit
Utrumque Phoebi litus, et Scythiae genus,
Et omnis, ardens, ora, quam torret dies:
Si pace tellus plena, si nullae gemunt
Urbes, nec aras impius quisquam inquinat:
Si scelera desunt, spiritum admitte hunc,
precor,

---

neca de Constant. Sap. 5. in laudando Stilpone philosopho: *inter micantes ubique gladios, et militarem in rapina tumultum, inter flammas et sanguinem stragemque impulsae civitatis, inter fragorem templorum super deos suos cadentium uni homini pax fuit.* Nec aliter Ovidius Met. II. v. 858. de Jove in taurum verso:

Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen,
Pacem vultus habet.

Ob oculos autem hic noster habuit illud Euripidis Andromach. v. 1146. de moribundo Neoptolemo:

εὐδία δ᾽ ὅπως
ἔστη, φαεινοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις.

In astra. nec me mortis infernae locus,
Nec moesta nigri regna conterrent Jovis:
Sed ire ad illos umbra, quos vici, Deos,
Pater, erubesco. nube discussa diem
Pande, ut Deorum vultus ardentem Herculem
Spectet: licet tu sidera et mundum neges,
Ultro, pater, cogere. si voces dolor
Abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus,
Et redde Fatis. approba natum prius.
Ut dignus astris videar, hic faciet dies.
Leve est, quod actum est. Herculem hic, genitor, dies
Inveniet, aut damnabit. hoc postque addidit:
Noverca cernat, quo feram flammas modo.
Flammas poposcit. hoc age Alcidae comes;
Non segnis, inquit, corripe Oetaeam facem.
Quid dextra tremuit? num manus pavida impium
Scelus refugit? redde jam pharetras mihi,
Ignave, iners, inermis. en nostros manus
Quae tendat arcus. qui sedet pallor genis?
Animo faces invade, quo Alciden vides
Vultu jacere: respice arsurum, miser.

1704) *mortis infernae locus*) Heinsius, quia non alia mors quam inferna, suspicatur *noctis* aut *sortis infernae*. Neutrum est necesse. *Poëtis* enim, ut ait Quinctilianus VIII. 6. 40. *satis est ἐπίθετον convenire verbo, cui apponitur: et ita dentes albi, et humida vina in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat.*

Vocat ecce jam me genitor, et pandit polos.
Venio, pater. vultusque non idem fuit.
Tremente pinum dextera ardentem impuli.
Refugit ignis, et reluctantur faces,
Et membra vitant: sed recedentem Hercules
Insequitur ignem. Caucasum, aut Pindum,
aut Athon
Ardere credas. nullus erumpit sonus.
Tantum ingemiscit ignis. o durum jecur!
Typhon in illo positus immanis rogo
Gemuisset ipse, quique convulsam solo
Imposuit humeris Ossan Enceladus ferox.

1726) *pandit polos. Venio, pater*) Avienus Carm. Minor. VI. E. v. 9:

Ibis in optatas sedes; nam Jupiter aethram
Pandit, Feste tibi, candidus ut venias.
Jamque venis; tendit dextras chorus inde Deorum,
Et toto tibi jam plauditur ecce polo.

1728) *Refugit ignis*) Prudentius Peristeph. VI. v. 115:

Hos quum defugeret vaporus ardor,
Orant, ut celer ignis advolaret.

1732) *Tantum ingemiscit ignis*) Hercules non gemit, sed solummodo ignis, reluctans illum consumere, et hoc officium ei invitus praestans, ut bene cepit vir doctus in Miscel. Obss. I. p. 80. Par ignis miraculum narratum est in Thyest. v. 767:

impositas dapes
Transiluit ignis, inque trepidantes focos
Bis ter regestus, et pati jussus moram,
Invitus ardet. stridet in verubus jecur.
Nec facile dicam, corpora an flammae magis
Gemuere.

At ille medias inter exsurgens faces
Semiustus ac laniatus, intrepidus, rubens:
Nunc es parens Herculea, sic stare ad rogum,
Te, mater, inquit, sic decet ferri Herculem.
Inter vapores positus et flammae minas,
Immotus, inconcussus, in neutrum latus
Correpta torrens membra, adhortatur, monet.
Gerit aliquid ardens: omnibus fortem addidit

1738) *Nunc, ó parens Herculea*) Florentinus: *Nunc est parens.* Correxi de judicio Gronovii Heinsiique: *Nunc es parens Herculea. sic stare* etc. Meminerimus enim, Alcmenam supra v. 1673. correptam ab Hercule, quod lacrymaret.

1739) *sic decet fleri Herculem*) Lege *ferri*, id est, efferri. Ovidius Amor. II. 14. 39:

Ipsa perit, fertur que toro resoluta capillos.

ubi plura Heinsius.

1742) *Correpta flectens membra*) In Florentino legitur *torrens.* et recte. Vult, immota et inagitata Herculi membra torreri. Lucianus de Morte Peregrini 25. *ἐκεῖνοι γὰρ οὐκ ἐμπηδῶσιν εἰς τὸ πῦρ, ὡς Ὀνησίκριτος ὁ Ἀλεξάνδρου κυβερνήτης, ἰδὼν Κάλανον καόμενον, φησὶν, ἀλλ' ἐπειδὰν νήσωσι, πλησίον παραστάντες ἀκίνητοι, ἀνέχονται παροπτώμενοι, εἶτ' ἐπιβάντες κατὰ σχῆμα καίονται, οὐδ' ὅσον ὀλίγον ἐκτρέψαντες τῆς κατακλίσεως.* id est, cremantur immoti et corporis habitu servato, ut interpretatur Tan. Faber.

1743) *Gerit aliquid ardens*) Oportet enim Sapientem *in actu mori*, quemadmodum loquitur Seneca Epist. 8. Idem de Otio Sapientis c. 28. *Nos sumus, apud quos usque eo nihil ante mortem otiosum est, ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa.* De Lycurgo Plutar-

Animum ministris. urere ardentem putes.
Stupet omne vulgus, vix habent flammae fidem.
Tam placida frons est, tanta majestas viro.
Nec properat uri. cumque jam forti datum
Leto satis pensavit, igniferas trabes
Hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,
Totasque in ignem vertit, et qua plurimus
Exundat ignis, recipit intrepidus, ferox.
Nunc ora flammis implet. ast illi graves
Luxere barbae: cumque jam vultum minax

---

chus in ejus vita c. 29. 3. *ἐτελεύτησεν οὖν ἀποκαρτερήσας, ἡγούμενος χρῆναι τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν μηδὲ τὸν θάνατον ἀπολίτευτον εἶναι, μηδ' ἀργὸν τὸ τοῦ βίου τέλος, ἀλλ' ἐν ἀρετῆς μερίδι καὶ πράξεως γενόμενον.*

1749) *nimia quas flamma oocupat)* *minima* scripsimus de virorum doctorum judicio.

1752) *ast illi graves Luxere barbae)* Heinsius legendum suspicatur: *ast illi trabes Luxere ab ora*, vel *in orbem.* Sed haerebat in epitheto. *graves barbae* sunt verendae. Antipater Sidonius Epigram. XL. v. 3:

κόμαν Ἡρακλέους
σεμνάν θ' ὑπήναν.

Apud Lucianum Cynicus, in Dialogo sic inscripto, de Hercule Theseoque loquens, c. 14. *τὸν πώγωνα κόσμον ἀνδρὸς ἐνόμιζον, ὥσπερ καὶ ἵππων χαίτην, καὶ λεόντων γένεια, οἷς ὁ θεὸς ἀγλαΐας καὶ κόσμου χάριν προσέθηκέ τινα· οὑτωσὶ δὲ καὶ τοῖς ἀνδράσι τὸν πώγωνα προσέθηκεν.* Plinius Epist. I. 10. 6. de Euphrate philosopho: *proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba: quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum*

Appeteret ignis, lamberent flammae caput,
Non pressit oculos. Sed quid hanc moestam intuor
Sinu gerentem? reliquias magni Herculis
Cineremque jactans squallidum Alcmene gemit.

ALCMENA, PHILOCTETES.

ALCM. Timete, superi, fata. tam parvus cinis
Herculeus est. huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est. ecce vix totam Hercules
Complevit urnam. quam leve est pondus mihi,
Cui totus aether pondus incubuit leve!
Ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima
Rediturus ibas. quando ab inferna Styge
Remeabis iterum? non ut et spolium trahas,
Rursumque Theseus debeat lucem tibi:
Sed quando solus? mundus impositus tuas
Compescet umbras, teque Tartareus canis
Inhibere poterit? quando Taenareas fores
Pulsabis? aut quas mater ad fauces agar,
Qua mors aditur? vadis ad Manes iter

---

venerationis acquirunt. I nunc, et de lana caprina dic agi, cum de barba Herculis agitur.

1772) *ah, quas mater ad fauces agar? Qua mors aditur?*) Florentinus *aut*, non *ah*. Sequimur Gronovium, ita

Habiturus unum. quid diem questu tero?
Quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?
Quem parere rursus Herculem possum Jovi?
Quis me parentem natus Alcmenam suam
Tantus vocabit? o nimis felix, nimis,
Thebane conjux. Tartari intrasti loca
Florente nato; teque venientem inferi
Timuere forsan, quod pater tantum Herculis
Vel falsus aderas. quas petam terras anus,
Invisa saevis regibus? si quis tamen
Rex est relictus saevus. hei miserae mihi!
Quicunque caesos ingemunt nati patres,
A me petent supplicia. me cuncti obruent.
Si quis minor Busiris, aut si quis minor
Antaeus urbes fervidae terret plagae,
Ego praeda ducar. si quis Ismarios greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
Mea membra diri. forsitan poenas petet
Irata Juno. totus uretur dolor.

---

scribentem: *Pulsabis? aut quas mater ad fauces agar, Qua mors aditur?*

1788) *fervidae terret plagae)* id est, Libyae. Claudianus XVIII. v. 179:

poenis hominum plaga personat ardens.

1792) *totus uretur dolor)* Proba lectio. *uri dolor* eodem plane modo dicitur, ut flamma Catullo LXI. v. 177:

Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma.

Secura victo tandem ab Alcide vacat.
Pellex supersum, supplicia de qua exigat.
Ne parere possem, fecit hic natus mihi
Utero timendo. quae petam Alcmene loca?
Quis me locus, quae regio, quae mundi plaga
Defendet? aut quas mater in latebras agar?
Ubique per te nota. si patriam petam,
Laresque miseros, Argos Eurystheus tenet.
Marita Thebas regna et Ismenon petam?
Thalamosque nostros, in quibus quondam Jovem
Dilecta vidi? prô nimis felix, nimis,

---

ubi vide Scaliger. et Barth. ad Claudian. X. v. 102.

1796) *fecit hic gnatus mihi Uterum timendum*) *Utero timendo* bene Florentinus. id est, cum uterus timeretur. Medea v. 651:

perarate pontum
F o n t e t i m e n d o.

Nemesianus de Laudibus Herculis v. 21:

Jam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus; sed regia Juno
Impedit et partus prohibet nascique vetabat,
Ut m e t u s ipse Deum monstret.

1800) *Laresque miseros*) Heinsius malebat *seros*, vel *avitos*. Neutrum opus est. *miseros* Alcmena lares vocat, ob miseranda sui fata parentis, de quibus vide Hesiod. Scut. Herc. v. 11.

1801) *Marita Thebas regna et Ismenon petam*) Sic Heinsius ad Ov. Her. XIV. v. 19., cum in Florentino invenisset *Marita Thebae regnat Ismenon petam*, optime correxit vulgatam scripturam: *Orbata Thebas regnum et Ismenum petam.*

Si fulminantem et ipsa sensissem Jovem!
Utinam meis visceribus Alcides foret
Exsectus infans! nunc datum est miserae, datum,
Videre natum laude certantem Jovi:
Ut hoc daretur scire, quid fatum mihi
Eripere posset! quis memor vivet tui,
O nate, populus? omne jam ingratum est genus.
Petam Cleonas? Arcadum an populos petam?
Meritisque terram nobilem quaeram tuis?
Heic dira serpens cecidit; heic ales fera;
Heic rex cruentus; heic tua fractus manu,
Qui te sepulto possidet coelum, leo.
Si grata terra est, populus Alcmenam tuam
Defendat omnis. Thracias gentes petam,
Hebrique populos? haec quoque est meritis tuis
Defensa tellus. stabula cum regno jacent.
Heic pax cruento rege prostrato data est.
Ubi enim negata est? quod tibi infelix anus

1808) *Ut hoc daretur scire, quid*) Ita correxi de virorum doctorum sententia. Vulgo editur nullo sensu: *Et hoc daretur scire, quod fatum mihi Eripere posset.*

1812) *Meritisque terram nobilem*) Intelligit Arcadiam. Sic paulo infra v. 1818. cum nominasset Thracias gentes Hebrique populos, addit:

haec quoque est meritis tuis
Defensa tellus.

nempe Thracia. Quare nihil opus est Dan. Heinsii conjectura *Meritisque Lernam nobilem.*

1821) *Ubi enim negata est?*) Totum adeo mundum Hercu-

Quaeram sepulcrum? de tuis totus rogis
Contendat orbis. reliquias magni Herculis
Quis populus, aut quae templa, quae gen-
tes colent?
Quis jam petet, quis poscet Alcmenes onus?
Quae tibi sepulcra, nate, quis tumulus sat est?
Hic totus orbis. fama erit titulus tibi.
Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes.
Complectere ossa. reliquiae auxilium dabunt.
Erunt satis praesidia. terrebunt tuae
Reges vel umbrae. PHIL. Debitos nato quidem
Compesce fletus, mater Alcidae incliti.
Non est gemendus, nec gravi urgendus nece,
Virtute quisquis abstulit fatis iter.

---

lis manu pacatum esse, dictum est supra v. 283. Herc. fur. v. 442. 882. et saepius, ut nullus emendationi sit locus.

1827) *Hic totus orbis*) *Hic* scilicet tumulus. Addaeus Epigrammate X:

τύμβον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος ἤν τις ἀείδῃ,
ἠπείρους κείνου σῆμα λέγ' ἀμφοτέρας.

Lucanus VIII. v. 798:

Romanum nomen et omne
Imperium Magno est tumuli modus.

Ibid.) *fama erit titulus tibi*) *titulus* est epitaphium. Diodorus junior Epigram. XI:

μὴ μέτρει Μάγνητι τὸ πηλίκον οὔνομα τύμβῳ,
μηδὲ Θεμιστοκλέους ἔργα σε λανθανέτω.
τεκμαίρου Σαλαμῖνι καὶ ὁλκάσι τὸν φιλόπατριν,
γνώσῃ δ' ἐκ τούτων μείζονα Κεκροπίης.

Aeterna virtus Herculem fleri vetat.
Fortes vetant moerere, degeneres jubent.
ALCM. Sedabo questus? vindicem amisi parens
Terrae atque pelagi, quaque purpureus dies
Utrumque clara spectat Oceanum rota.
Quot misera in uno condidi natos parens?
Regno carebam, regna sed poteram dare.
Una inter omnes terra quas matres gerit,
Votis peperci. nil ego a superis petii
Incolume nato. quid dare Herculeus mihi
Non poterat ardor? quis Deus quidquam mihi
Negare poterat? vota in hac fuerant manu.
Quidquid negaret Jupiter, daret Hercules.
Quid tale genitrix ulla mortalis tulit?
Deflevit aliqua mater, et toto stetit

1836) *Fortes vetat moerere, degeneres jubet*) Lege cum Florentino:

Fortes vetant moerere, degeneres jubent.

et vide quae notavimus ad Troad. v. 289.

1838) *quaque purpureus dies*) Virgilium imitatus est, qui Aen. VII. v. 100:

quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbant.

clara rota pro curru nitido, ut loquitur Horatius Carm. Saec. v. 9.

1849) *Deflevit aliqua mater*) Nihil muta. *Deflevit* enim absolute dicitur, ut apud Virgilium Aen. XI. v. 59:

Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat.

Succisa foetu, bisque septenos greges
Deplanxit una. gregibus aequari meus
Quot ille poterat? matribus miseris adhuc
Exemplar ingens deerat. Alcmene dabo.
Cessate matres, pertinax si quas dolor
Adhuc jubet lugere, quas luctus gravis
In saxa vertit. cedite hic cunctae malis.
Agedum, senile pectus, o miserae manus,
Pulsate. et una funeri tanto sat est
Grandaeva anus defecta; quod totus brevi
Jam quaeret orbis? expedi in planctus tamen
Defessa quamquam brachia. invidiam ut Deis
Lugendo facias, advoca in planctum genus.

Propert. I. 16. 13:

Haec inter gravibus cogor deflere querelis.

Prudent. Peristeph. V. v. 516:

Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem.

Tacit. An. XVI. 13. *dum assident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. aliqua* eleganter pro, quaedam. Sic Ovidius Met. X. v. 560:

Forsitan audieris aliquam certamine cursus
Veloces superasse viros.

ubi Criticos vide.

1860) *quod totus brevi Jam quaeret orbis*) *brevi jam* non magis in Seneca quenquam offendere debet, quam in Terentio *posthac jam*, Heaut. IV. 3. 1:

Nulla mihi res posthac jam intervenire tanta —

1861) *invidiam ut Deis Lugendo facias*) Recte Gesnerus in Thes. L. L. interpretatur: ut Dî male audiant ob tuam infelicitatem. vid. Burman. ad Ov. Met. IV. v. 547.

1862) *advoca in planctum genus*) hoc est, totum orbem, gentes omnes.

ALCMENA.

Flete Alcmenen, magnique Jovis
Plangite natum, cui concepto
Lux una periit, noctesque duas
Contulit Eos: ipsa quiddam
Plus luce perit. totae pariter
Plangite gentes, quarum saevos
Ille tyrannos jussit Stygias
Penetrare domos, populisque madens
Ponere ferrum. fletum meritis
Reddite tantis. totus, totus
Personet orbis. fleat Alciden
Caerula Crete, magno tellus
Cara Tonanti: centum populi
Brachia pulsent.
Nunc Curetes, nunc Corybantes,

1875) *magno tellus Clara Tonante*) Lege cum Florentino: *magno tellus Cara Tonanti.* Callimachus Hymno in Delum v. 272:

οὐδέ τις ἄλλη
γαιάων τοσσόνδε θεῷ πεφιλήσεται ἄλλῳ·
οὐ Κεγχρὶς κρείοντι Ποσειδάωνι Λεχαίῳ,
οὐ πάγος Ἑρμείῃ Κυλλήνιος, οὐ Διῒ Κρήτη,
ὡς ἐγὼ Ἀπόλλωνι.

Nemesianus de Laudibus Herculis v. 131:

Idam Superis spectantibus ignis
Dissipat, et magno cunabula grata Tonanti
Igne suum monstrum, si fas est dicere, vincit.

Arma Idaea quassate manu:
Armis illum lugere decet.
Nunc nunc funus plangite verum:
Jacet Alcides non minor ipso,
Creta, Tonante.
Flete Herculeos, Arcades, obitus,
Nondum Phoebo nascente genus.
Juga Parthenii Nemeaeque sonent,
Feriantque graves Maenala planctus.
Poscite magno Alciden gemitu:
Stratus vestris setiger agris:
Alesque sequi jussa sagittas,
Totum pennis velata diem.
Flete, Argolicae, flete, Cleonae;
Hic terrentem moenia quondam

1884) *Nondum Phoebo nascente genus)* Nihil opus est, *Phoebe* reponi. Statius enim Arcades *veteres astris Lunaque priores* vocat Theb. IV. v. 275. Atqui Sol *dux astrorum* Senecae Thyest. v. 836. ubi vide.

1888) *Stratus vestris setiger oris)* *agris* bene Florentinus. Agam. v. 832. Chorus, laudes Herculis celebrans, *Te*, inquit,

Sensit Arcadii populator agri.

1890) *Totum pennis velata diem)* Hypallage est, pro: cujus pennis velata est dies, et similis illi apud Horatium: *suspensi loculos tabulamque lacerto*, Sat. I. 6. 74. Aliter hoc effertur in Herc. fur. v. 243:

Solitasque pennis condere obductis diem.

Rursus aliter in Phoenis. v. 422:

atra nube subtexens diem
Stymphalis.

Vestra leonem fregit nostri
Dextera nati. Date Sithoniae
Verbera matres, gelidusque sonet
Planctibus Hebrus. flete Alciden,
Quod non stabulis nascitur infans,
Nec vestra greges viscera carpunt.
Fleat Antaeo libera tellus,
Et rapta fero plaga Geryonae.
Mecum miserae plangite gentes.
Audiat ictus utraque Tethys.
Vos quoque mundi turba citati,
Flete Herculeos, numina, casus.
Vestrum Alcides cervice meus
Mundum, superi, coelumque tulit:
Cum stelligeri vector Olympi,
Pondere liber spiravit Atlas.
Ubi nunc vestrae, Juppiter, arces?
Ubi promissi regia mundi?
Nempe Alcides mortalis obit,
Nempe sepultus. quoties telis

1900) *Et rapta*) *pasta* conjicit Heinsius, quod sit, depasta. Vulgatum confirmatur verbis Dejanirae v. 412. de Hercule:

Qui regna miseris donat et celsis rapit.

1908) *Pondere liber spiravit Atlas*) Apud Lucianum in Charonte 4. Mercurius: *ἀκούεις δὲ ἴσως καὶ τοῦ ἐμοῦ ἀδελφοῦ πέρι, τοῦ Ἡρακλέους, ὡς διαδέξατό ποτε αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν Ἄτλαντα, καὶ ἀναπαύσειε πρὸς ὀλίγον τοῦ ἄχθους, ὑποθεὶς ἑαυτὸν τῷ φορτίῳ.*

Facibusque tuis ille pepercit!
Quoties ignis spargendus erat!
In me saltem jaculare facem,
Semelemque puta. Jamne Elysias,
O nate, domus, jam litus habes,
Ad quod populos Natura vocat?
An post raptum Styx atra canem
Praeclusit iter;
Teque in primo limine Ditis
Fata morantur? quis nunc Umbras,
Nate, tumultus, Manesque tenet?
Fugit abducta navita cymba,
Et Centauris Thessala motis
Ferit attonitos ungula Manes?
Anguesque suos hydra sub undis
Territa mersit? teque labores,
O nate, timent?
Fallor, fallor, vesana parens;
Nec te Manes Umbraeque timent.
Non Argolico rapta leoni,

1918) *Ad quod populos Natura vocat*) Heinsius, probante Burmanno ad T. II. Anthol. Lat. p. 40., emendat: *ad quod populos navita vectat.* Sed nihil muta. Plutarchus Consolat. ad Apollon. c. 55. *ἐκείνῳ δὲ τῷ μακαρισθέντι οὐκ ἦν κατὰ φύσιν περαιτέρω τοῦ ἀπονεμηθέντος αὐτῷ χρόνου πρὸς τὸν ἐνθάδε βίον περιμένειν, ἀλλ᾽ εὐτάκτως τοῦτον ἐκπλήσαντα πρὸς τὴν εἱμαρμένην ἐπανάγειν πορείαν, καλούσης αὐτῆς — ἤδη πρὸς ἑαυτήν.*

Fulva pellis contecta juba
Laevos operit dura lacertos,
Vallantque feri tempora dentes.
Donum pharetrae cessere tuae.
Telaque mittet jam dextra minor.
Vadis inermis, nate, per umbras,
Ad quas semper mansurus eris.

ALCMENA, HERCULES.

HERC. Quid me tenentem regna siderei poli,
Coeloque tandem redditum, planctu jubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In astra, et ipsos fecit ad superos iter.
ALCM. Unde sonus trepidas aures ferit?
Unde meas inhibet lacrimas fragor?
Agnosco, agnosco, victum est Chaos.
A Styge, nate, redis iterum mihi:
Fractaque non semel est Mors horrida.
Vicisti rursus Noctis loca,
Puppis et infernae vada tristia.
Pervius est Acheron jam languidus,

1935) *Vallantque feri tempora dentes*) *Vallare* saepius adhiberi de capitum tegumentis terrorem incutientibus, docet Wakefield. ad Lucret. IV. v. 591.

1939) *Ad quas semper mansurus eris*) Heinsius malit *eas*. Usus tamen praepositionis *ad*, ut apud notet, satis est obvius, et quem ipse vir doctus late adstruit ad Ov. Fast. IV. v. 310.

Et remeare licet soli tibi;
Nec te Fata tenent post funera.
An tibi praeclusit Pluton iter,
Et pavidus regni metuit sibi?
Certe ego te vidi flagrantibus
Impositum silvis, cum plurimus
In coelum fureret flammae metus.
Arsisti certe; verum ultima
Non tenuere tuas umbras loca.
Quid timuere tui manes, precor?
Umbra quoque est Diti nimis horrida.
HERC. Non me gementis stagna Cocyti tenent,
Non puppis umbras furva transvexit meas.
Jam parce, mater, questibus. Manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis evictus tulit.

1962) *Umbra quoque est*) Gronovius malit *es*. Vulgatam tuetur locus Troad. v. 683:

Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est.

1964) *Non puppis umbras furva*) Vetus codex, monente Heinsio ad Ov. Met. III. v. 273., *fulva* habet. sed male. *furva* est, quam *κυανέην* vocat Leonidas Tarentinus Epigr. LIX. v. 2:

τοῦτ' Ἀχέροντος
ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ.

1967) *ignis evictus tulit*) Heinsius malebat *evictum*. Sed Florentini codicis lectionem optime confirmat Propertius IV. 7. 2:

Sunt aliquid manes; letum non omnia finit:
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Paterna coelo pars data est, flammis tua.
Proinde planctus pone, quos nato paret
Genitrix inerti. luctus in turpes est.
Virtus in astra tendit, in mortem timor.
Praesens ab astris, mater, Alcides cano,
Poenas cruentus jam tibi Eurystheus dabit.
Curru superbum vecta transcendes caput.
Me jam decet subire coelestem plagam.
Inferna vici rursus Alcides loca.
ALCM. Mane parumper. cessit; ex oculis abiit;
In astra fertur. fallor, an vultus putat
Vidisse natum? misera mens incredula est.
Es numen, et te mundus aeternus tenet.

1969) *quos gnato paret*) Significantius hoc, quam Heinsii: *quos gnato pares, Genitrix, inerti.* Apud Dioscoridem Epigr. XXXIII. v. 5. Tynnichus:

δειλοὶ κλαιέσθωσαν· ἐγὼ δὲ σέ, τέκνον, ἄδακρυς
θάψω, τὸν καὶ ἐμὸν καὶ Λακεδαιμόνιον.

Pseudo-Phalaris Epist. 103. *οὐ γὰρ δακρύεσθαι τὰ Στησιχόρου πρέπον, ἀλλ' ὑμνεῖσθαι. καὶ καθόλου μὲν οὐκ ἂν ἐβουλόμην ὑμᾶς· οὔτε θρήνους, οὔτε αἰκισμοὺς προΐεσθαι σωμάτων, οὐχ ὅτι οὐ κοινὰ ταῦτα πάθη κατηναγκασμένα πρέπεται πᾶσιν, ἀλλ' ὅτι τὰ τοιαῦτα ἀνθρώποις ἐστὶν ἁρμοστὰ δυστήνοις, ὧν οὐχ ἡ τελευτὴ τὰς ὀλοφύρσεις προσηκούσας, ἀλλ' ὁ βίος ἔχει.*

1971) *in astra*) Apud Lollium Bassum Epigr. X. v. 3. ipse Pluto:

Γερμανικὸς ἄστρων
οὐκ ἐμός· οὐ χωρεῖ νῆα τόσην Ἀχέρων.

1980) *et te mundus aeternus tenet*) Non adsentiendum Hein-

Credo triumphis. regna Thebarum petam,
Novumque templis additum numen canam.

CHORUS.

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus. vivite fortes;
Vos Lethaeos saeva per amnes
Nec fata trahent. sed cum summas
Exiget horas consumta dies,
Iter ad superos gloria pandet.
Sed tu, domitor magne ferarum,
Orbisque simul pacator, ades.
Nunc quoque nostras respice terras:
Et si qua novo bellua vultu

---

sio rescribenti *mundus aetherius.* Cicero de Nat. Deor. III. 16. *non video, quo pacto ille, cui in monte Oetaeo illatae lampades fuerint, ut ait Accius, in domum aeternam patris ex illo ardore pervenerit.* Seneca Consolat. ad Marc. 25. *In aeterna rerum per vasta et libera spatia dimissos.* ibid. 26. *Nos quoque felices animae, et aeterna sortitae.*

1981) *Credo triumphis*) Ita et in Statii Thebaide XII. v. 77. ad Menoeceum parens:

> *Tu Superum convexa licet, coetusque perenni*
> *(Credo equidem) virtute colas —*

1992) *novo bellua vultu*) *vultum* feris quoque dat Lucanus IV. v. 238:

Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange trisulcis.
Fortius ipso genitore tuo
Fulmina mittes.

---

ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces.

INCERTI AUCTORIS

OCTAVIA.

DRAMATIS PERSONAE.

OCTAVIA.
NUTRIX OCTAVIAE.
CHORUS ROMANORUM.
SENECA.
PRAEFECTUS.
POPPAEA.
AGRIPPINA.
NERO.
NUNTIUS.

ACTUS PRIMUS.

OCTAVIA.

Jam vaga coelo sidera fulgens
Aurora fugat: surgit Titan
Radiante coma, mundoque diem
Reddit clarum.
Age, tot tantis onerata malis,
Repete assuetos jam tibi questus,
Atque aequoreas vince Alcyonas;
Vince et volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua est.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus
Natae exaudi, si quis remanet
Sensus in umbris. utinam ante manu
Grandaeva sua mea rupisset

Stamina Clotho, tua quam moerens
Vulnera vidi,
Oraque foedo sparsa cruore!
O lux semper funesta mihi!
Tempore ab illo nox est tenebris
Invisa magis.
Tulimus saevae jussa novercae,
Hostilem animum, vultusque truces.
Illa illa meis tristis Erinnys
Thalamis Stygios praetulit ignes:
Teque exstinxit, miserande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum, cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus nostris ante ignoti,
Jurisque sui.
Conjugis (heu me!) pater insidiis
Oppresse jaces; servitque domus
Cum prole tua capta tyranno!

NUTRIX OCTAVIAE.

Fulgore primo captus, et fragili bono
Fallacis aulae quisquis attonitus stupet,

---

20) *lux est tenebris*) Lege cum Bothio: *nox est tenebris Invisa magis*, et refer ad lucem, quae *nox* dicitur, consueta Metaphora. Nec desunt exempla similis variationis. cfr. Burman. ad Ovid. Fast. VI. v. 711. et Trist. I. 3. 5.

Subito labantis ecce Fortunae impetu
Modo praepotentem cernat eversam domum,
Stirpemque Claudii, cujus imperio fuit
Subjectus orbis, paruit liber diu
Oceanus, et recepit invitus rates.
En qui Britannis primus imposuit jugum,
Ignota et ante classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit,
Et saeva maria; conjugis scelere occidit,
Mox illa nati. cujus exstinctus jacet
Frater venenis. moeret infelix soror,
Eademque conjux. nec graves luctus valet
Ira coacta tegere. crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari

---

39) *cujus imperio fuit Subjectus orbis)* Heinsius malebat *imperium tulit*, vel *imperio cluit*. Quorum alterum servile est, hoc autem obsoletum.

42) *En qui Britannis)* In vulgatis erat *ora Tanais*, quod correxit Scaliger, an Livineius ad Panegyr. vett. p. 287.

43) *et ante)* Recte ita rescriptum pro *tantis*. Seneca in Apocolocynthosi:

Ille Britannos ultra noti
Litora ponti, et caeruleos
Scuta Brigantas dare Romuleis
Colla catenis jussit, et ipsum
Nova Romanae jura securis
Fremere Oceanum.

50) *odio pari Ardens mariti)* Gronovius emendabat: *atque odio pari Ardet maritus: mutua flagrant face*, quia nullo etiam verbo dictum sit, Neroni Octaviam odio esse. Atqui dictum est, Neronem crudelem esse maritum. Nemo enim amans uxoris aspere eam tractat.

Ardens mariti, mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides,
Pietasque frustra. mutat immitis dolor
Consilia nostra. nec regi mentis potest
Generosus ardor, sed malis vires capit.
Heu, quam nefandum prospicit noster timor
Scelus. quod utinam numen avertat Deûm!

OCTAVIA, NUTRIX.

OCT. O mea nullis aequanda malis
Fortuna! licet repetam luctus,
Electra, tuos. tibi moerenti
Caesum licuit flere parentem;
Scelus ulcisci vindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit,
Texitque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratrisque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi,
Totque malorum breve solamen.
Nunc in luctus servata meos,

---

53) *mutat immitis dolor*) id est, abjicit, non probat, repudiat. Aliqua exemplaria *mittit*, perpetua quidem variatione.

70) *in luctus servata meos*) id est, proprios, non, ut antea, cum fratre communicatos. Nam, ut ait Claudianus XXXVI. v. 197:

Magni resto nominis umbra.
NUTR. Vox (heu) nostras perculit aures
Tristis alumnae.
Cessas thalamis inferre gradus,
Tarda senectus? OCT. Excipe nostras
Lacrimas, nutrix, testis nostri
Fida doloris. NUTR. Quis te tantis
Solvet curis, miseranda, dies?
OCT. Qui me Stygias mittet ad umbras.
NUTR. Omnia, quaeso, sint ista procul.
OCT. Non vota meos tua nunc casus,
Sed fata regunt. NUTR. Dabit afflictae
Meliora Deus tempora mitis.
Tu modo blando vince obsequio
Placata virum. OCT. Vincam saevos
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam saevi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,

---

levius communia tangunt.

In eandem sententiam loquitur Seneca Troasin, v. 1011:

Lentius luctus lacrimaeque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.

et Agamemnone v. 664:

Lacrimas lacrimis miscere juvat.
Magis exurunt, quos secretae
Lacerant curae.

88) *Odit genitos sanguine claro)* Ad modum Dionysii tyranni, de quo Eubulus:

τούτους δ' ἡγεῖται μόνους
ἐλευθέρους, κἂν δοῦλος ᾖ τις.

Spernit superos hominesque simul,
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens. licet ingratum
Dirae pudeat munere matris
Hoc imperium cepisse; licet
Tantum munus morte rependat:
Feret hunc titulum post fata tamen
Femina longo semper in aevo.
NUTR. Animi retine verba furentis.
Temere emissam comprime vocem.
OCT. Toleranda quamvis patiar, haud unquam queant,
Nisi morte tristi, nostra finiri mala.
Genitrice caesa, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis, luctu obruta,
Moerore pressa, conjugi invisa, ac meae
Subjecta famulae, luce non grata fruor;
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris. absit crimen a fatis meis:
Mori juvabit. poena nam gravior nece est,
Videre tumidos et truces miserae mihi

---

100) *Toleranda quamvis patiar*) id est, aerumnas mihi tolerandas quamvis patienter feram, blandoque virum obsequio vincere studeam, juxta praeceptum Nutricis v. 84. Optime sic Octaviae persona servatur, quae, prodente Tacito Ann. XIII. 16. *quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis affectus abscondere didicerat.*

Vultus tyranni, jungere atque hosti oscula,
Timere nutus; cujus obsequium meus
Haud ferre posset, fata post fratris, dolor,
Scelere interemti; cujus imperium tenet
Et morte gaudet auctor infandae necis.
Quam saepe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum solvit quies,
Et fessa fletu lumina oppressit sopor!
Modo facibus atris armat infirmas manus,
Oculosque, et ora fratris infestus petit:
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos.
Persequitur hostis, atque inhaerenti mihi
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus et metus miserae mihi.
Adice his superbam pellicem, nostrae domus
Spoliis nitentem; cujus in munus suam
Stygiae parentem natus imposuit rati,
Quam dira post naufragia superato mari
Ferro interemit, saevior pelagi fretis.
Quae spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica, victrix, imminet thalamis meis:
Odioque nostri flagrat, et pretium stupri
Justae maritum conjugis captat caput.

---

133) *pretium stupri Justae maritum conjugis captat caput*) Non opinor sollicitari haec debere, *caput maritum,* caput maritale uxoris legitimae. est epexegesis *caput maritum, stupri pretium*, quomodo apud Propertium,

Emergere umbris, et fer auxilium tuae
Natae invocanti, genitor; aut Stygios sinus
Tellure rupta pande, quo praeceps ferar.
NUTR. Frustra parentis invocas manes tui,
Miseranda, frustra, nulla cui prolis suae
Manet inter umbras cura, qui nato suo
Praeferre potuit sanguine alieno satum,

Conjugis obscoeni pretium Romana poposcit moenia. noster ipse post v. 601.

> *Funesta merces puppis, et pretium imperi*
> *Nox illa.*

nihil familiarius poetis. de quo alibi (II. Advers. 14.)

Heinsius.

Idem tamen *infestat caput* legendum opinatur. Sed *captandi* verbum est ad id aptatum, quod antecessit, *imminet thalamis meis.*

134) *Emergere undis*) *umbris* scribebam. sic infra v. 706. *emersa pelago Thetis.* et sic loquuntur poetae haud raro. Ausonius in Epigrammatis:

> *Emersam pelagi nuper genitalibus undis*
> *Cyprin Apellei cerne laboris opus.*

Idem Epistola jocosa ad Theonem, *emersus Stygiis fornacibus Orcus.* nec male clarissimus Gronovius, *Emerge ab umbris.*

Heinsius.

Recepi correctionem *umbris.* Nihil crebrius hac diversitate. vid. Drakenborch. ad Sil. IV. v. 681. *Emergere*, imperativo, emerge te. Sic apud Senecam Hippol. v. 1200:

> *condere Acherontis plagis.*

pro, conde, merge te.

Genitamque fratris conjugem captus sibi
Toris nefandis flebili junxit face.
Hinc orta series facinorum, caedes, doli,
Regni cupido, sanguinis diri sitis:

---

141) *Genitamque fratris conjugem captus*) Dignum omnino elegantia Gronoviana, quod vir sagacissimus reponit *incestus* pro *captus*. Nos sic omnem constituebamus locum, qui Lipsium, Delrium, Gruterum mire exercitos habuit:

Gnatamque fratris conjugem incestus sui (vel *sibi*)
Toris nefandis flebili (vel *funebri*) *junxit face.*

Gnatam fratris sui nefandis (hoc est suis) toris per flebilem junxit facem. ita haec sunt construenda ac capienda. Oedipo:

Thalamos parentis Phoebus et diros toros
Gnato minatur impia incestos face.

Idem.

Hic equidem nihil erroris deprehendo. In *fratris* intellige *sanguine* ex versu praecedenti. Ovidius Met. II. v. 90:

Scilicet, ut nostro genitum te sanguine credas.

captus est, amore detentus, incensus. Ita apud Propertium I. 1. 1:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

ubi vid. Burman. A Suetonio Claud. 26. dicitur *illecebris Agrippinae, Germanici, fratris sui, filiae, per jus osculi et blanditiarum occasiones, pellectus in amorem. incestus* ex *toris nefandis* intelligitur; adeoque nimium est. Alioqui Tacitus An. XII. 5. de eodem: *Quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.*

144) *sanguinis diri sitis*) Heinsius malebat *sanguinis dira et sitis*, vel *sanguinis cari sitis*. Enimvero *sanguis*

Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.
Prô facinus ingens! feminae est munus datus
Silanus, et cruore foedavit suo
Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hostis (hei mihi) captam domum,
Dolis novercae, Principis factus gener,
Idemque natus, juvenis infandi ingenii
Capaxque scelerum, dira cui genitrix facem
Accendit, et te junxit invitam metu.
Tantoque victrix facta successu ferox,

---

dirus est inauspicatus, ob diritatem sceleris parricidalis, Livio nefandus, I. 13. *ne se sanguine nefando soceri generique respergerent: ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberum hi progeniem.* Sic apud Senecam Oed. v. 106. *dirus sanguis* Sphingis dicitur, cujus interfectae scelus grande et morte piandum est. *Dirum* et Medeae, parricidae liberum futurae, nefas audit Med. v. 931.

146) *tuis ne fieret hymenaeis potens*) id est, potentiam, opes consequeretur. Idem v. 949:

Quid non potuit quondam genitrix
Tua; quae rexit Principis aulam,
Cara marito, partuque potens?

Alibi mens erat Heinsii, cum reponeret: *tui ne fieret hymenaei potens.*

154) *junxit invitam metu*) Heinsius mallet *invitam nurum*, vel *invitam toro.* Sed nihil ego mutandum censeo. Nam ita Cicero Verr. II. 60. *aperte ostendunt, sese ad statuas tuas pecuniam metu ac malo coactos, invitissimos contulisse.*

Ausa imminere est orbis imperio sacri.
Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas feminae, et blandos dolos
Regnum petentis per gradum scelerum omnium?
Tum sancta Pietas extulit trepidos gradus;
Vacuamque Erinnys saeva funesto pede
Intravit aulam; polluit Stygia face
Sacros penates; jura Naturae furens
Fasque omne rupit; miscuit conjux viro
Venena saeva; cecidit atque eadem sui
Mox scelere nati. tu quoque exstinctus jaces
Deflende nobis semper, infelix puer,
Modo sidus orbis, columen Augustae domus,
Britannice, (heu me) nunc levis tantum cinis,
Et tristis umbra; saeva cui lacrimas tulit
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque et vultus Deo

---

156) *orbis imperio sacri*) *sacer orbis* est, qui sacra manu gubernatur, augustus, imperatori parens Romano: quem quidquid contingeret, *sacrum* et *divinum* dicebatur. Id monendum erat propter Gronovium, inconsideratius corrigentem *orbis imperio sacro.*

170) *saeva cui lacrimas dedit Etiam noverca*) Propter sequens *Dedit* rescribendum est: *saeva cui lacrimas tulit Etiam noverca.* Val. Flaccus V. v. 30:

vix membra rigentia tandem
Inposuere rogo; lacrimasque et munera flammis
Ferunt.

Solemnem utriusque verbi permutationem esse, docet Burmannus ad Lucan. IV. v. 245.

Similes volanti, flamma fervens abstulit:
OCT. Exstinguat et me, ne manu nostra cadat.
NUTR. Natura vires non dedit tantas tibi.
OCT. Dolor, ira, moeror, miseriae, luctus dabunt.
NUTR. Vince obsequendo potius immitem virum.
OCT. Ut fratrem ademtum scelere restituat mihi?
NUTR. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim sobole restituas tua.
OCT. Exspectat aliam Principis sobolem domus:
Me dira miseri fata germani trahunt.
NUTR. Confirmet animum civium tantus favor.
OCT. Solatur iste nostra, non relevat, mala.
NUTR. Vis magna populi est. OCT. Principis
major tamen.
NUTR. Respiciet ipse conjugem. OCT. Pellex
vetat.
NUTR. Invisa cunctis nempe. OCT. Sed cara
est viro.
NUTR. Nondum uxor est. OCT. Jam fiet, et
genitrix simul.
NUTR. Juvenilis ardor impetu primo furit;
Languescit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammae vapor.
Amor perennis conjugis castae manet.

---

173) *flamma fervens abstulit*) Heinsius legit *flamma feralis tulit*, haud sane necessaria emendatione. Seneca in Oedipo v. 928:

Aut fervido aliquis igne vel saxo domet.

191) *In Venere turpi*) Cicero Tusc. Disp. IV. §. 75. *stupra*

Violare prima quae toros ausa est tuos,
Animumque domini famula possedit diu,
Jam metuet eadem, nempe praelatam sibi
Subjecta et humilis: atque monumenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.
Et hanc levis fallaxque destituet Deus
Volucer Cupido. sit licet forma eminens,
Opibus superba; gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores
Regina Deûm, cum se formas
Vertit in omnes dominus coeli,
Divûmque pater:
Et modo pennas sumsit oloris;
Modo Sidonii cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri. fulgent coelo
Sidera Ledae. patrio residet
Bacchus Olympo. Deus Alcides

---

dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo.

194) *Animumque domini famula*) Acte, liberta. Tacitus An. XIII. 46. *Neronem pellice ancilla et assuetudine Actes devinctum, nil e contubernio servili, nisi abjectum et sordidum traxisse.*

199) *sit licet forma eminens*) De forma Poppaeae testis est Tacitus An. XIII. 45. *mater ejus, aetatis suae foeminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat, opes claritudini generis sufficiebant.*

Possidet Heben, nec Junonis
Jam timet iras; cujus gener est,
Qui fuit hostis. vicit sapiens
Tamen obsequium conjugis altae,
Pressusque dolor. sola Tonantem
Tenet aethereo secura toro
Maxima Juno; nec mortali
Captus forma deserit altam
Juppiter aulam. tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.
OCT. Jungentur ante saeva sideribus freta,
Et ignis undae, Tartaro tristi polus,

---

212) *cujus gener est, Qui fuit hostis*) Sublegit Ovidio, Trist. III. 5. 42:

Neve hominum referam flexas ad mitius iras,
Iunonis gener est, qui prius hostis erat.

Apollodorus II. 7. 7. in hac narratione: *διαλλαγεὶς Ἥρᾳ, τὴν ἐκείνης θυγατέρα Ἥβην ἔγημεν.*

213) *vicit sapiens Tamen obsequium*) Non audiendus Heinsius, locum ita refingens:

vicit patiens
Tamen obsequio conjugis, alte
Pressusque dolor.

sapiens obsequium exhibuit Juno, dum extraneis mariti voluptatibus prudenter indulget. Val. Maximus VI. 7. 1. de Tertia Aemilia, P. Africani majoris: *tantae fuit comitatis et patientiae, ut, cum sciret, viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit: ne domitorem orbis, Africanum, foemina magnum virum, impatientiae reum ageret.*

Lux alma tenebris, rescidae nocti dies:
Quam cum scelesti conjugis mente impia
Mens nostra, semper fratris exstincti memor.
Utinam nefandi Principis dirum caput
Obruere flammis Coelitum rector paret,
Qui saepe terras fulmine infesto quatit,
Mentesque nostras ignibus terret sacris,
Novisque monstris! vidimus coelo jubar
Ardens, cometam pandere infaustam facem,
Qua plaustra tardus noctis aeterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En ipse diro spiritu saevi ducis
Polluitur aether, gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Jove
Irata tellus edidit quondam parens.
Haec gravior illo pestis. hic hostis Deûm
Hominumque, templis expulit superos suis,
Civesque patria; spiritum fratri abstulit;

---

232) *pandere infestam facem*) *infesto fulmine* paullo ante jam praecesserat. Rectius igitur Heinsius *infaustam facem* legit. infausti cometae. Et constat has voces perpetuo confundi.

233) *aeterna vice*) Mallet Heinsius *alterna*. Sed frustra. Diximus ad Senec. Thyest. v. 835.

234) *frigido Arctoo*) id est, frigore Arctoo. Seneca Quaest. Nat. VI. 13. *Frigidum et calidum semper in contraria abeunt, et una esse non possunt; eo frigidum confluit, unde vis calida discessit; et invicem ibi calidum est, unde frigus expulsum est.*

Hausit cruorem matris; et lucem videt?
Fruiturque vita, noxiamque animam trahit?
Prô, summe genitor, tela cur frustra jacis
Invicta toties temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?
Utinam suorum facinorum poenas luat
Nero, ipse Divo Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi jugo;
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.
NUTR. Indignus ille (fateor) est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunae tuae,
Alumna, quaeso; neve violenti move
Iram mariti. forsitan vindex Deus
Exsistet aliquis, laetus et veniet dies.
OCT. Gravi Deorum nostra jam pridem domus

---

246) *Invicta toties temere*) *frustra* et *temere* conjunxit exemplo Lucretii V. v. 1000:

Nec, temere, in cassum frustra, mare, saepe coortum,
Saevibat.

ubi Wakefieldus: „Ut signatiorem sensum daret — voces synonymas cumulavit — quod et alii scriptores castissimi saepenumero fecerunt." Nihil igitur erat, quod Withofius rescriberet: *In sacra toties nemora*. Pro *Invicta* alius malit *Inimica*, alius *Emissa*, Heinsius *Inulta*. Sed vulgata recte se habet. Sophoclus Oed. Col. v. 1515:

στράψαντα χειρὸς τῆς ἀνικήτου βέλη.

Attius in Philocteta:

Heu Mulciber
Arma ignavo invicta es fabricatus manu.

Urgetur ira: prima quam pressit Venus,
Furore miserae dira genitricis meae:
Quae nupta demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, conjugis, legum immemor.
Illo soluta crine, succincta anguibus,
Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine exstinxit faces:
Incendit ira Principis pectus truci
Caedem in nefandam. cecidit infelix parens
(Heu) nostra ferro, meque perpetuo obruit
Exstincta luctu. conjugem traxit suum,
Natumque ad umbras, prodidit lapsam domum.
NUTR. Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis neve sollicita tuae,
Graves furoris quae sui poenas dedit.

CHORUS.

Quae fama modo venit ad aures,

---

262) *Illo soluta crine*) *Illo* pro illuc accipe. Sic *isto* dicitur Ovidio XVIII. Her. 205:

Pace brevi nobis opus est, dum transferor isto.

ubi vid. Burman.

268) *conjugem traxit*) Alii *trusit*. male. Nam *trudit* alterum is, qui sequitur, non qui praecedit. Atqui Messalina diem ante Claudium obiit.

269) *prodidit*) id est, solam destituit. Libri quidam *perdidit*, aberratione solita. vid. Drakenborch. ad Sil. XVI. v. 621.

Utinam falso credita, perdat
Frustra toties jactata fidem!
Nec nova nostri conjux thalamos
Principis intret. teneatque suos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis,
Servetque decus Roma aeternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Juno. soror Augusti
Sociata toris, cur a patria
Pellitur aula? sancta quid illi
Prodest pietas, Divusque pater?
Quid virginitas, castusque pudor?
Nos quoque nostri sumus immemores
Post fata ducis, cujus prodimus
Stirpem saevo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam

---

274) *falso credita)* Burmannus ad Propert. II. 23. 73. patruum suum *prodita* maluisse narrat. Sed *fama* non *prodi*, sed *prodere* dicitur.

279) *Edat partu pignora pacis)* Haec ita refingit Heinsius:

Edat partum, pignora pacis,
Quo tranquillus gaudeat orbis.

Non est tamen nove dictum, *edat partu.* Cicero Tusc. Disp. II. §. 20. e Sophocle:

una vecors Oenei partu edita.

287) *Quid virginitas)* Heinsius emendat, *virgineus castusque pudor.* Sed vera est vulgata lectio. Praeter Gronov. ad h. l. vide Burman. ad Val. Flac. VI. v. 449.

Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hac expulerunt
Urbe superbos; ultique tuos
Sunt bene manes, virgo, dextra
Caesa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Praemia victrix dira libido.
Te quoque bellum triste secutum est,
Mactata tua miseranda manu
Nata Lucretii, stuprum saevi
Passa tyranni. dedit infandi
Sceleris poenas cum Tarquinio
Tullia conjux; quae per caesi
Membra parentis saevos egit
Impia currus, laceroque seni
Violenta rogos nata negavit.
Haec quoque nati videre nefas
Secula magnum, cum Tyrrhenum

---

309) *Hoc quoque nostra videre nefas Secula; magnum cum Tyrrhenum*) Pro *Hoc quoque nostra* recepimus *Haec quoque nati* ex Codicibus vetustis, et post *magnum* colon posuimus, quia, si voluissst *magnum Tyrrhenum* dicere, non addidisset postea *aequor*, ut bene monuit Gronovius. Festinabat autem Grotius, cum scriberet *majus*. Nihil enim Tulliae scelere gravius esse potest. Livius *foedum inhumanumque* vocat I. 48. ipsaque *monstri simile exemplum* dicitur a Val. Maximo IX. 11. 1. Pro *quoque* mallet Heinsius *aeque*. Sed repugnat id metro.

Rate ferali Princeps captam
Fraude parentem misit in aequor.
Properant placidos linquere portus
Jussi nautae;
Resonant remis pulsata freta;
Fertur in altum provecta ratis,
Quae resoluto robore labens
Pressa dehiscit, sorbetque mare.
Tollitur ingens
Clamor ad astra cum femineo
Mixtus planctu. mors ante oculos
Dira vagatur. quaerit leti
Sibi quisque fugam:
Alii lacerae puppis tabulis
Haerent nudi, fluctusque secant:

---

313) *Properant placidos linquere portus*) Unus liber *placitos*, et ita Heinsius conjecerat. Sed confirmat vulgatam Tacitus, eandem rem narrans, An. XIV. 5. *Noctem sideribus illustrem, et* *p l a c i d o* *m a r i* *quietam, quasi convincendum ad scelus, dii praebuere.* Lucianus etiam de Merc. Cond. c. 2. naufragos, ait, in templis crepare solitos, ὡς τὸ πρῶτον εἰσέπλευσαν γαληνοῦ ὑποφαινομένου τοῦ πελάγους.

325) *Haerent nudi*) Speciosior quam verior Heinsii conjectura, legentis: *Alii lacerae puppis tabulis Haerent udi.* Huic enim superlationi non dissimilis est apud Lucianum de Merc. Cond. c. 1. ubi naufragi ridentur narrantes, ὡς πρὸς πέτραν τινὰ ὕφαλον, ἢ σκόπελον ἀπόκρημνον, περιῤῥήξαντες τὸ δύστηνον σκαφίδιον, ἄθλιοι κακῶς ἐξενήξαντο, γ υ μ ν ο ὶ, καὶ πάντων ἐνδεεῖς τῶν ἀναγκαίων.

Repetunt alii litora nantes:
Multos mergunt fata profundo:
Scindit vestes Augusta suas,
Laceratque comas, rigat et moestis
Fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira, jam victa malis,
Haec, exclamat, mihi pro tanto
Munere reddis praemia, nate?
Hac sum, fateor, digna carina,
Quae te genui, quae tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Caesaris amens. exsere vultus
Acheronte tuos, poenisque meis
Pascere, conjux: ego causa tuae,
Miserande, necis; natoque tuo
Funeris auctor.
En, ut merui, ferar ad manes
Inhumata tuos,
Obruta saevis aequoris undis.
Feriunt fluctus ora loquentis.
Ruit in pelagus, rursumque salo
Pressa resurgit. pellit palmis
Cogente metu fata, et cedit
Fessa labori. mansit tacitis
In pectoribus spreta tristi

---

350) *mansit tacitis In pectoribus*) Grotius corrigebat *famulis in pectoribus*. Sed de famulitio comitatu certe

Jam morte fides. multi dominos
Ferre auxilium pelago fractis

Agrippinae cum intelligenda sint, quae de natantibus jam supra habuimus, supervacuum est hic loci designare, quorum fidem commendet. *tacitum* pro occulto et tecto passim apud poetas. *In tacito gaudeat ille sinu* apud Tibullum (IV. 5. 8.). Val. Flaccus (IV. v. 4.):

Ut nova nunc tacito sub pectore gaudia tollunt.

Prudentius praefatione libri primi adversus Symmachum:

Christum sub tacito pectore murmurans.

Silius II. v. 482. de Fide dea:

Ante Jovem generata, decus divumque hominumque,
Justitiae consors, tacitumque in pectore numen.

ubi et *tacitoque* possis. sed parum interest. Lucanus I. v. 247. ut quidem scripti meliores:

Et tacito mutos volvunt in pectore questus.

non *tacitos muto.* apud Senecam Hippolyto, *Tacitae mentis exaudi preces.* sed et *fides tacita* eidem Senecae frequenter.

Heinsius.

Adde, quod *tacitae fidei* confine est, *tacitum officium et studium* ex Cic. Or. pro Quinct. 25. *Tum mihi Roscius et alia multa confirmandi mei causa dixit: et, mehercule, si nihil diceret, tacito ipso officio et studio, quod habebat erga propinquum suum, quemvis commoveret. pectoribus*, ut incertus Poeta de Maecenate moribundo v. 26:

P e c t u s eram vere pectoris ipse tui.

et Seneca Consolat. ad Helv. 17. *Maximum autem solatium tuum tacueram, sororem meam, illud fidelis-*

Viribus audent. brachia quamvis
Lenta trahentem, voce hortantur,
Manibusque levant. quid tibi saevi
Fugisse maris profuit undas?
Ferro es nati moritura tui:
Cujus facinus vix posteritas,
Tarde semper credula, credet.
Furit, ereptam pelagoque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miserae fata parentis,
Patiturque moram sceleris nullam.
Missus peragit jussa satelles;
Reserat dominae pectora ferro:
Caedis moriens illa ministrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut ensem.
Hic est, hic est fodiendus, ait,

---

simum pectus tibi, in quod omnes curae tuae pro indiviso transferuntur; illum animum omnibus nobis maternum.

354) *brachia quamvis lenta trahentem*) Heinsius legi vult: *brachia quam vix lassa trahentem*, et intelligi *dominam*, quod paullo ante jam praecessit. Sed nihil opus est mutatione. brachia *lenta* sunt languida; *quamvis lenta*, lentissima. Respicitur autem Ovidii locus Her. XVIII. v. 162. ubi Leander:

Saepe per adsiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas.

Ferro, monstrum qui tale tulit.
Post hanc vocem cum supremo
Mixtam gemitu
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

ACTUS SECUNDUS.

SENECA.

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Arte extulisti, gravius ut ruerem edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiae malis
Remotus inter Corsici rupes maris:
Ubi liber animus, et sui juris, mihi

---

377) *potens Fortuna)* Sic et Symposius in Anthol. Lat. T. I. p. 556:
O Fortuna potens, ac nimium levis,
Tantum juris atrox quae tibi vindicas.
ubi vid. Burman.

Ibid.) *fallaci mihi)* Quia praecessit *me*, *mihi* mutant viri docti, Gruterus in *nimis*, Heinsius in *diu*. Prius arridet Burmanno ad T. I. Anthol. Lat. p. 556. Sed ipse Burmannus quot similis negligentiae exempla protulit ad Propert. II. 11. 29.

Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Coelum intueri, molis et cursus sacros,

---

384) *studia recolenti mea*) Pro *mea* legendum *pia* arbitrabatur Gronovius, fortasse quia pronomen illud tantillo intervallo toties repeti nolebat. Atqui ferendum est idem pronomen apud Propertium II. 10. terdecies repetitum.

387) *Coelum intueri, Solis et cursus sacros, Mundique motus, Solis alternas vices*) Locus ob invisam ejusdem nominis et sermonis repetitionem varie tentatus. Delrio legendum videbatur:

Coelum intueri, Solis alternas vices.

inductis mediis: *Solis et cursus sacros, Mundique motus.* Gronovius autem emendabat: *noctis alternas vices.* Heinsius denique conjecit: *et poli alternas vices*, vel certe:

Solis et cursus statos,
Mundique motus soliti et alternas vices.

Quorum nemini, fallente vitii sede, cessit emendatio. Repone:

Coelum intueri, molis et cursus sacros,
Mundique motus, Solis alternas vices.

Lucretius V. v. 97:

ruet moles, et machina mundi.

quod suum fecit Arnobius, per Wakefieldum excitatus, lib. I. p. 2. *machinae hujus et molis, qua universi tegimur.* Ovidius Met. I. v. 258:

correptaque regia coeli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Seneca Epigrammatum VII:

moles pulcherrima coeli
Ardebit flammis tota repente suis.

Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,

Manilius I. v. 107:
Vicinam ex alto mundi cognoscere molem
Intendit, totumque animo comprendere coelum.
v. 485:
Nec quidquam in tanta magis est mirabile mole.
v. 716:
Num se diductis conetur solvere moles
Segminibus — — — — —
— — magni cum vulnera coeli
Conspiciant, feriatque oculos injuria mundi.
II. v. 117:
hanc convexi molem sine fine patentis,
Signorumque choros, ac mundi flammea tecta,
Aeternum et stellis adversus sidera bellum.

Nec minus recte molis *cursus* dicuntur. Plinius Hist. Nat. II. c. 3. *immensus et ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae vertigine assidua sonitus.* et, paucis interjectis: *irrequieto mundi ipsius — circuitu: quo semper in se currente* caet. Manilius I. v. 197:
Quod patet ex ipso motu cursuque volantis.
Cicero de Nat. Deor. II. §. 15. *Quartam causam esse, eamque vel maximam, aequabilitatem motus, conversionum coeli.* ubi Ernestius mallit *conversionumque.* Sed Asyndeton quoque est de Leg. I. §. 24. *cum de natura omni quaeritur, disputari solet — perpetuis cursibus, conversionibus coelestibus exstitisse quandam maturitatem serendi.* Conf. in eandem rem Cic. Somn. Scip. 5. De Nat. Deor. II. §§. 104, 97, 31, 49, 60, 88, 90 et 101. cursus vero *sacros*, ut apud Manilium II. v. 143. de astris:
quibus illa sacros non invidens meatus
Notitiamque sui.

Lateque fulgens aetheris magni decus!
Qui si senescit, tantus in caecum chaos
Casurus iterum, nunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Coeli ruina; rursus ut stirpem novam
Generet, renascens melior: ut quondam tulit
Juvenis, tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni Dea,

Quin ipse mundus *sacer* audit Plinio Hist. Nat. II. init. a Manilioque *divino numine verti* dicitur I. v. 491. et v. 250. Hinc *mundi sacra* sunt studia Astronomiae Claudiano XVII. v. 10. Pro *Coelum intueri* Burmannus ad Ov. Met. I. v. 85. scribit *Coelum tueri.* Sed *intueri* acrius est, idque vult Seneca, qui Tragico ob oculos fuit, Consolat. ad Helv. 9. *dum oculi mei ab illo spectaculo, cujus insatiabiles sunt, non abducantur, dum mihi lunam solemque intueri liceat* etc. Comparandus autem Ovidius, Fast. I. v. 297:

Felices animos, quibus haec cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit.

391) *Qui si senescit*) ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρω esse vult Plato ap. Polluc. p. 159. ed. Kuhn.

392) *nunc adest mundo*) Gronovius cum Grotio scribunt *nunc ades*, quod sit optantis, ut adsit. Sed non haec sententia poëtae, sed diem illum adesse dixit imitatione Senecae Thyest. v. 878. ubi Chorus pariter:

Nos e tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine mundus.
In nos aetas ultima venit.

393) *Supremus ille*) ut apud Propertium II. 19. 20:

Non labor Alcidae, non niger ille dies.

Justitia, coelo missa cum sancta Fide,
Terras regebat mitis. humanum genus
Non bella norat; non tubae fremitus truces;
Non arma gentes; cingere assuerant suas
Muris nec urbes. pervium cunctis iter.
Communis usus omnium rerum fuit.
Et ipsa tellus laeta foecundos sinus
Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. alia sed soboles minus
Conspecta mitis. tertium sollers genus
Novas ad artes exstitit; sanctum tamen.
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos graves
Extrahere pisces rete; vel calamo levi
Decipere volucres; premere subjectos jugo
Tauros feroces; vomere immunem prius
Sulcare terram, laesa quae fruges suas

---

409) *sequi cursu feras)* *incursu* melius videtur Heinsio, non mihi. Virgilius Aen. IV. v. 157:

jamque hos cursu, jam praeterit illos.

V. v. 253:

Velocis jaculo cervos, cursuque fatigat.

VII. v. 478:

Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.

413) *vulnere immunem)* Legendum, ut habet margo editionis Lugdunensis, et conjecit Delrius: *vomere immunem prius Sulcare terram.* Ovidius Met. I. v. 102:

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suae
Deterior aetas; eruit ferrum grave,
Aurumque; saevas mox et armavit manus;
Partita fines regna constituit, novas
Exstruxit urbes; tecta defendit suis
Aliena telis, aut petiit praedae imminens.
Neglecta terras fugit, et mores feros
Hominum, ac cruenta caede pollutas manus,
Astraea virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit, atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus, atque error gravis.
Collecta vitia per tot aetates diu
In nos redundant. seculo premimur gravi,
Quo scelera regnant. saevit impietas furens.
Turpi libido Venere dominatur potens.
Luxuria victrix orbis immensas opes
Jam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. quid ferat, mente horreo.

NERO, PRAEFECTUS, SENECA.

NERO. Perage imperata. mitte, qui Plauti mihi

---

423) *Hominum, ac cruenta caede)* Sic edimus de Heinsii sententia. Vulgo, *et mores feros, Hominum cruenta caede pollutas manus.*

Sullaeque caesi referat abscissum caput.
PRAEF. Jussa haud morabor. castra confestim petam.
SEN. Nihil in propinquos temere constitui decet.
NERO. Justo esse facile est, cui vacat pectus metu.
SEN. Magnum timoris remedium clementia est.
NERO. Exstinguere hostem, maxima est virtus ducis.
SEN. Servare cives, major est patriae patri.
NERO. Praecipere mitem convenit pueris senem.
SEN. Regenda magis est fervida adolescentia.
NERO. Aetate in hac satis esse consilii reor.
SEN. Ut facta superi comprobent semper tua.
NERO. Stulte verebor, ipse cum faciam, Deos.

---

441) *Justo esse*) Legitur et *Justum esse*. Sed alterum elegantius. Vid. Heins. ad Ov. Her. XIV. v. 64.

446) *Regenda magis*) quam pueritia. Apud Tacitum An. XIV. c. 55. Nero ad Senecam: *quod praesens conditio poscebat, ratione, consilio, praeceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti.* et c. 56. *Quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas; ornatumque, robur subsidio impensius regis.*

448) *Ut facta superi*) Reticetur *vereor*, aut *vide*. Sic apud Plautum Curcul. II. 2. 7:

operam ut det.

et Terentium Heaut. IV. 1. 4:

ut satis contemplata modo sis.

utrobique conf. interpretes. Hic particulae usus fugit Heinsium, in nostro loco scribentem, *Di*, vel *Ita facta superi*.

SEN. Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.
NERO. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
SEN. Crede obsequenti parcius. levis est Dea.
NERO. Inertis est, nescire quid liceat sibi.
SEN. Id facere, laus est, quod decet, non, quod licet.
NERO. Calcat jacentem vulgus. SEN. Invisum opprimet.
NERO. Ferrum tuetur Principem. SEN. Melius fides.
NERO. Decet timeri Caesarem. SEN. At plus diligi.

---

450) *quod licet tantum tibi*) Pariter Silius XIV. v. 670. de Marcello victore:

Ingemuit nimium juris, tantumque licere
Horruit.

455) *Calcat jacentem vulgus*) Locus minime sollicitandus. *jacentes*, remissi. sic apud Claudianum (XXXIII. v. 96.):

an forte jacentes
Ignavosque putas, quod non Cyclopia tela
Stringimus.

apud Nasonem (Ibidis v. 29.), etsi sensu nonnihil diverso:

At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem.

Seneca Thyeste (v. 197.):

numquid abjectus jacet?
Numquid secundis patitur in rebus modum?

spem non jacentem pro vegeta et erecta nec dubia spe Prudentius Romano v. 360.

Heinsius.

NERO. Metuant necesse est. SEN. Quidquid exprimitur, grave est.
NERO. Jussisque nostris pareant. SEN. Justa impera.
NERO. Statuam ipse. SEN. Quae consensus efficiat rata.
NERO. Despectus ensis faciet. SEN. Hoc absit nefas.
NERO. An patiar ultra sanguinem nostrum peti
Invictus, et contemtus ut subito opprimar?
Exsilia non fregere summotos procul
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in caedem meam.
Absentium cum maneat etiam ingens favor
In urbe nostra, qui fovet spes exsulum;
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa conjux pereat, et carum sibi
Fratrem sequatur. quidquid excelsum est, cadat.
SEN. Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriae, parcere afflictis, fera
Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Haec summa virtus. petitur hac coelum via.
Sic ille patriae primus Augustus parens
Complexus astra est, colitur et templis Deus.

---

463) *Invictus*) *invisus* habent quaedam exemplaria. Carrio malebat *invitus*, ut centies hae voces permutatae fuere. Sed utroque modo perit oppositio, quae est in *invictus* et *opprimar*.

Illum tamen Fortuna jactavit diu
Terra marique per graves belli vices;
Hostes parentis donec oppressit sui.
Tibi numen incruenta summittit suum;
Et dedit habenas imperii facili manu,
Nutuque, terras, maria, subjecit tuo.
Invidia tristis victa consensu pio
Cessit. senatus equitis accensus favor:
Plebisque votis, atque judicio Patrum
Tu pacis auctor, generis humani arbiter

---

485) *Invidia tristis victa consensu pio Cessit*) *invidia* scilicet in adoptivum. vid. Tac. An. XII. 25. et 41. *tristis* bene habet. Pindarus Pyth. II. v. 169:

ἀλλ' οὐ-
δὲ ταῦτα νόον ἰαίνει φθονερῶν. στάθμας
δέ τινος ἑλκόμενος
περισσᾶς, ἐνέπαξεν, ἕλ-
κος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ,
πρὶν ὅσα φροντίδι μηχανῶνται τυχεῖν.

consensus. testem dabo Galbam, qui apud Tac. Hist. I. 16. sic ait: *generari et nasci a principibus, fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi judicium integrum, et si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero.*

486) *senatus equitis accensus favor Plebisque votis, atque judicium patrum est. Tu pacis*) Verissima est Lipsii correctio: *senatus equitis accensus favor: Plebisque votis atque judicio patrum Tu pacis auctor* etc. Claudianus III. v. 48. de Stilichone:

Omnis in hoc uno variis discordia cessit
Ordinibus. laetatur eques, plauditque Senatus,
Votaque patricio certant plebeja favori,

Electus, orbem tu sacra specie regis
Patriae parens: quod nomen ut serves, petit,
Suosque cives Roma commendat tibi.
NERO. Munus Deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma, et Senatus; quodque ab invitis preces,
Humilesque voces exprimit nostri metus.

---

judicio patrum, id est, patriciorum. Cicero Epist. ad Div. IX. 21. 10. *quare ad patres censeo revertare. plebeii quam fuerint importuni, vides.* pro, patricios. *accensum favorem* Rutilius quoque dixit Itinerar. I. v. 202:

Nuntiat accensus plena theatra favor.

ubi Wernsdorfius: „*accenditur* favor, quando crescit, et aestuat, ut erumpat in voces et plausus." *auctor pacis* Nero dicitur, quomodo Nasoni Augustus Fast. I. (v. 287.):

Iane, face aeternos Pacem Pacisque ministros,
Neve suum praesta deserat auctor opus.

Quod bene observavit Heinsius.

489) *orbem tu sacra specie regis*) *sacra species* est imperatoria dignitas, ut apud Claudianum IV. Cons. Honorii (83):

Amissa specie raptisque insignibus ambo
In vultus rediere suos.

apud Horatium libro I. Ep. VI. (v. 49.):

Si fortunatum species et gratia praestat.

hoc est, magistratus consularis aut praetorius. Tacitus IV. Ann. VI. *Sua consulibus, sua praetoribus species.* Cicero ad Famil. I. Ep. 9. *Hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem et speciem hujus vitae intuentur, sollicitudinem autem et laborem perspicere non possunt.* Docuit haec me Graevius noster.

Heinsius.

Servare cives Principi et patriae graves
Claro tumentes genere, quae dementia est,
Cum liceat una voce suspectos sibi
Mori jubere? Brutus in caedem ducis,
A quo salutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Jovi
Aequatus altos saepe per honorum gradus,
Caesar nefando civium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Lacerata toties! ille, qui meruit pia
Virtute coelum, Divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem, cum suos mortis metu
Fugerent penates, et trium ferrum ducum,
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita caesorum patres
Videre moesti: flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi.

---

501) *Jovi Aequatus altos saepe per honorum gradus*) Heinsius *paene* scribens, ad invidiam rei minuendam, non meminerat, Caesari, inter alia humano fastigio ampliora, decretam esse, quae erat propria Jovi in Capitolio, sedem auream in curia, et pro tribunali. vid. Sueton. Caes. c. 76. ibique Ernest.

513) *per putres vultus*) Heinsius legit *per putres vicos*, minime necessaria emendatione. Corn. Severus de Morte Ciceronis init.

Oraque magnanimum spirantia paene virorum
In rostris jacuere suis.

Nec finis heic cruoris aut caedis stetit.
Pavere volucres et feras saevas diu
Tristes Philippi. hausit et Siculum mare

---

et v. 16:

Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Canitiem.

Martialis III. 66. 2:

Par scelus admisit Phariis Antonius armis;
Abscidit vultus ensis uterque sacros.

516) *hausit et Siculum mare Classes, virosque saepe cedentes. suis Concussus orbis viribus. Magnus ducum Superatus acie*) Graviter haec sunt affecta. Primo τὸ *hausit* non ausim improbare, cum ejusmodi hiatus apud omnes praecipui nominis, excepto nemine, poëtas, apud Maronem in primis, occurrant. Si quid mutandum sit, emendem, *sorbsit.* *sorusit* vetus scriptura fortasse occasionem loco depravando dederit, sic apud Senecam: *Eodem die ubi luserant navigia, sorbentur.* Totus locus sic videtur constituendus:

hausit et Siculum mare
Classes virosque. saepe per caedem suis
Concussus orbis viribus.

possis etiam *per clades. concussus orbis,* ut apud Lucanum libro I. *Certatum totis concussi viribus orbis In commune nefas.* Sallustius Epistola ad Caesarem de ordinanda Republica: *nam particeps dominationis neque fuit quisquam: neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret.* Trebellius Pollio Gallienis duobus: *Denique quasi conjuratione totius mundi concussis orbis partibus in Sicilia quasi quoddam servile bellum exstitit.* Florus libro III. cap. XII. *suis viribus confici populum Romanum* dixit.

Heinsius.

Classes, virosquo saepe cedentes suis.
Concussus orbis viribus magnis ducum.

Pro *Magnus* habent veteres libri *magnis*. Corrigendum nempe:

hausit et Siculum mare,
Classes, virosque saepe cedentes suis.
Concussus orbis viribus magnis ducum.
Superatus acie puppibus etc.

viros cedentes suis, id est, cives a civibus victos. *cedere* pro *vinci* frequentissimum est Floro. vid. Duker. ad I. 14. 2. et II. 6. 61. Eodem significatu verbum occurrit apud Ciceronem de Offic. II. §. 40. *Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt.* Item apud poëtas. Uno defungamur exemplo Martialis IX. 66. 4:

Cesserunt manibus cum fera monstra tuis.

sui opponuntur *extraneis*. Rutil. Itiner. I. v. 14:

Relligiosa patet peregrinaè Curia laudi;
Nec putat externos, quos decet esse suos.

concussus orbis, bello nimirum Actiaco. Tacitus Hist. I. 16. *in hoc concussi orbis motu. vires ducum* sumsit a Seneca, Quaest. Nat. IV. Praef. extr. *cum quatuor Romanorum principum, id est, totius imperii vires contractas in unum locum vidit.* Unde et Lucanus IV. v. 25:

Prima dies belli cessavit Marte cruento,
Spectandasque ducum vires, numerosaque signa
Exposuit.

Denique *superatum acie* de Antonio capiendum esse, clarum est ex *puppibus fugae paratis*. Horatius, Actiacam victoriam celebrans, Epod. IX. v. 19:

Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum sitae.

ubi vide Interpp.

Superatus acie puppibus Nilum petit
Fugae paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Aegyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum. condidit tandem suos
Jam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, et continuit imperium metu.
Armis, fideque militis tutus fuit.
Pietate nati factus eximia Deus,
Post fata consecratus, et templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si saevo prior
Ense occuparo, quidquid infestum est mihi,
Dignaque nostram sobole fundaro domum.
SEN. Implebit aulam stirpe coelesti tuam
Generata Divo, Claudiae gentis decus,
Sortita fratris, more Junonis, toros.
NERO. Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam conjugis junctus mihi.
SEN. Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus cum tegit flammas amor.
NERO. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,
Manifesta quamvis pectore insociabili
Vultuque signa proderent odium mei.
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor:
Dignamque thalamis conjugem inveni meis

527) *fideque militis tutus fuit*) Exilius, quam *fuit*, videtur mihi, quod Heinsius reponit, *sui*.

544) *Dignamque thalamis*) *que* transitioni serviens, acre

Genere atque forma, victa cui cedat Venus,
Jovisque conjux, et ferox armis Dea.
SEN. Probitas, fidesque conjugis, mores, pudor,
Placeant marito. sola perpetuo manent
Subjecta nulli, mentis atque animi bona.
Florem decoris singuli carpunt dies.
NERO. Omnes in unam contulit laudes Deus,
Talemque nasci fata voluerunt mihi.
SEN. Recedat a te, temere ne credas, amor.
NERO. Quem submovere fulminis dominus nequit,
Coeli tyrannum, saeva qui penetrat freta,
Ditisque regna, detrahit Superos polo.

---

quiddam atque expeditum habet, non observatum Heinsio, qui mutat in *ecce*: vid. ad Sen. Oed. v. 563.

549) *Subjecta nulli*) quae sunt in nostra potestate, ἐφ' ἡμῖν. Seneca Epist. 42. *Propria virtus est in vite, fertilitas: in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram: multum serit, multum foenerat. nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari: quod proprium est hominis. Quaeris quid sit? animus, et ratio in animo perfecta.* De quo non cogitabat Heinsius, cum haec ita refingeret: *Subjecta nullis casibus mentis bona.*

551) *Omnes in unam*) Seneca de Tranquil. an. c. 11. *in quem* (Sejanum), *quicquid congeri poterat, dii hominesque contulerant.*

553) *temere ne credas*) Interruptio est, vim addens orationi. Vir doctus conjecerat: *temere ne cedas.* Explicet, qui potest.

SEN. Volucrem esse Amorem fingit immitem Deum
Mortalis error, armat et telis manus,
Arcusque sacros miscuit saeva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est; juventa gignitur; luxu, otio
Nutritur inter laeta Fortunae bona.
Quem si fovere atque alere desistas, cadit,
Brevique vires perdit exstinctus suas.
NERO. Hanc esse vitae maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur. interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi jugales praeferat taedas Deus,
Jungatque nostris igne Poppaeam toris.
SEN. Vix sustinere posset hos thalamos dolor

---

571) *Jugetque nostris*) Scripti nonnulli cum primis editionibus, ut voluit Heinsius, *Jungatque*, cujus revocandi necessitatem adtulit molesta similitudo verborum *jugales* et *juget*.

Ibid.) *igne Poppaeam toris*) *juge*, vel *taeda* malebat Heinsius, ad evitandam ejusdem sermonis repetitionem. Sed *taedae* seu faces, et *ignis* παραλλήλως dicta videntur, ut apud Ovidium Her. XIV. v. 9:

Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;
Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces.

ubi vide Interpp.

572) *Vix sustinere posset*) Gronovius auctorem scripsisse censet: *Vix sustineret justus hos thalamos dolor Vi-*

Videre populi: sancta nec pietas sinat!
NERO. Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?
SEN. Majora populus semper a summo exigit.
NERO. Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.
SEN. Obsequere potius civibus placidus tuis.
NERO. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
SEN. Nil impetrare cum valet, juste dolet.
NERO. Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces?

---

dere populi. Heinsius: *Fidesque populi.* Nolebant, credo, duos infinitivos conjungi; quod tamen passim factum. Lucret. I. v. 467:

videndu' est,
Ne forte haec per se, cogant nos, esse fateri.

Terent. Andr. III. 2. 4:

Quod jussi ei dare bibere, et quantum imperavi,
Date.

Haec et plura Vossius de Construct. c. 50.

581) *Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces.*) Interrogative legendum est:

Exprimere jus est, ferre quod nequeunt preces?

Dixerat Seneca, vulgum *juste dolere.* Nero illud *juste* non sic abire passus, an, inquit, *jus* est exprimere, quod precibus impetrari nequit? quasi diceret: minime jus est; sed alterum instantius. Tantum interpunctio pollet. Gronovius conjiciebat: *Exprimere vis est.* Quid est, si non hoc frigidum est? Nam *exprimere* cum significet *vi auferre*, sequitur, *exprimere vis est* idem esse, ac si dixisset: *exprimere*

SEN. Negare durum est. NERO. Principem cogi nefas.
SEN. Remittat ipse. NERO. Fama sed victum feret.
SEN. Levis atque vana. NERO. Si licet, multos notat.
SEN. Excelsa metuit. NERO. Non minus carpit tamen.
SEN. Facile opprimetur. merita te Divi patris,
Aetasque frangat conjugis, probitas, pudor.
NERO. Desiste tandem, jam gravis nimium mihi,
Instare, liceat facere, quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota jam pridem moror,
Cum portet utero pignus, et partem mei.
Quin destinamus proximam thalamis diem?

---

est exprimere. ferre pro, auferre, impetrare, ut saepe. Plaut. Merc. II. 3. 106:

quod posces, feres.

584) *si licet, multos notat*) Pars codicum ac editionum: *sit licet.* Inepta lectio, quidquid commendat Schroederus. *si licet,* id est, si quando fidem invenit, si fides ei contingit.

ACTUS TERTIUS.

AGRIPPINA.

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
Thalamis scelestis. nubat his flammis meo
Poppaea nato juncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiae caedis mihi
Semper memoria, manibus nostris gravis
Adhuc inultis, reddita et meritis meis
Funesta merces puppis, et pretium imperii
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem, natique crudelis nefas
Deflere votum fuerat. haud tempus datum est
Lacrimis; sed ingens scelere geminavit nefas.
Peremta ferro, foeda vulneribus, sacros
Intra penates spiritum effudi gravem,

Erepta pelago, sanguine exstinxi meo
Nec odia nati, saevit in nomen ferus
Matris tyrannus. obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos destruit, mortis metu,
Totum per orbem, quem dedit poenam in meam
Puero regendum noster infelix amor.
Exstinctus umbras agitat infestus meas
Flammisque vultus noxios conjux petit,
Instat, minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque nati poscit auctorem necis.
Jam, parce, dabitur. tempus haud longum peto.
Ultrix Erinnys impio dignum parat

---

611) *titulos destruit mortis metu*) Refer cum Heinsio ad titulos, qui statuis subscribebantur. Apud Tibullum, ab ipso laudatum (IV. 1. 30.):

quid quaque index sub imagine dicat.

mortis metu recte Farnabium explicuisse puto: mortem iis minatus, quicunque mei simulacra habuerint. Florus II. 2. 17. *in quem, nisi paruisset, securi districta, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam.*

617) *imputat fatum mihi Tumulumque gnati. poscit auctorem necis.*) Distinguendum, ut feci, post *Tumulumque. fatum tumulumque* puta *suum*, quod saepe omitti, notissimum est. *gnati*, Britannici, *necis auctorem*, Neronem. Turbabant duo genitivi. Cicero in Pis. §. 1. *jamne sentis, quae sit hominum querela frontis tuae?* Caesar de Bel. Civ. I. 7. *omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat.* Plura hujus constructionis exempla videbis apud Sanct. Minerv. p. 177. Burman. ad Lucan. IX. v. 8. et alios.

Letum tyranno; verbera, et turpem fugam,
Poenasque, queis et Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
Licet exstruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatae ducis
Servent cohortes, mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna, divitias, ferant:
Veniet dies tempusque, quo reddat suis
Animum nocentem sceleribus, jugulum hostibus,
Desertus, et destructus, et cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea!
Quo te furor provexit attonitum tuus,
Et fata, nate? cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quae tuo scelere occidit!
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi,
Aluique, saevae nostra lacerassent ferae
Viscera! sine ullo scelere, sine sensu innocens
Meus occidisses: junctus atque haerens mihi,
Semper quietam cerneres sedem Inferûm,
Proavos, patremque, nominis magni viros.
Quos nunc pudor, luctusque perpetuus manet,
Ex te, nefande, meque, quae talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, conjux, mater infelix meis?

---

639) *Meus occidisses*) id est, mihi non infitiandus. Elegantiam pronominis illustrarunt duo Burmanni, primus ad Phaedr. V. 7. 32. secundus ad Propert. II. 8. 8.

OCTAVIA, CHORUS.

OCT. Parcite lacrimis urbis festo
Laetoque die; ne tantus amor,
Nostrique favor Principis acres
Suscitet iras, vobisque ego sim
Causa malorum. non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt.
Graviora tuli. dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.
Non ego saevi cernere cogar
Conjugis ora.
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulae. soror Augusti,
Non uxor, ero.
Absint tantum tristes poenae,
Letique metus. scelerum diri,
Miseranda, viri potes haec, demens,
Sperare memor? hos ad thalamos
Servata diu, victima tandem
Funesta cades. sed quid patrios
Saepe penates respicis udis
Confusa genis? propera tectis
Efferre gradus: linque cruentam
Principis aulam.
CHOR. En illuxit suspecta diu
Fama toties jactata dies!

---

670) *Fama toties jactata)* Miror Heinsium scribere: *Famae et toties,* passim obviis exemplis, ubi duo epi-

Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos jam victrix Poppaea tenet,
Cessat pietas dum nostra, gravi
Compressa metu, segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi?
Fregit claros quae saepe duces,
Dedit invictae leges patriae,
Fasces dignis civibus olim,
Jussit bellum, pacemque, feras
Gentes domuit, captos reges
Carcere clusit? gravis en oculis
Undique nostris jam Poppaeae
Fulget imago juncta Neroni:
Affligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominae:
Ipsamque toris detrahat altis:
Petat infelix mox et flammis
Telisque feri Principis aulam.

---

theta uni substantivo junguntur. Proximo contenti erimus Livii XXXVIII. 52. *Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit.*

688) *Petat infelix*) Viri docti certatim emendant: *Petat infestis mox et flammis.* Sed non sunt audiendi. *manus infelix* est, perniciali̇s. conf. de hac vocis potestate Serv. ad Virg. Aen. VII. v. 309. vel Ernest. ad Cic. Philip. II. 26.

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX, POPPAEA.

NUTR. Quo trepida gressum conjugis thalamis tui
Effers, alumna? quodve secretum petis
Turbata vultu? cur genae fletu madent?
Certe petitus precibus et votis dies
Nostris refulsit. Caesari juncta es tuo
Taeda jugali. quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecae, tradidit vinctum tibi

696) *culpa Senecae*) quod Neronis amorem improbando v. 437 seqq. in majus accenderat. Nam, ut ait Plautus Trinum. III. 2. 42:

Ita est amor; balista ut jacitur: nihil sic celere est, neque volat,
Atque is mores hominum moros et morosos efficit.

Genitrix amoris maximum numen Venus.
O qualis, altos quanta pressisti toros
Residens in aula! vidit attonitus tuam
Formam Senatus, tura cum Superis dares,
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput,
Et ipse lateri junctus atque haerens tuo
Sublimis inter civium laeta omina
Incessit, habitu atque ore laetitiam gerens
Princeps superbo. talis emersam freto
Spumante Peleus conjugem accepit Thetin:
Quorum toros celebrasse Coelestes ferunt,
Pelagique numen omne consensu pari.
Quae subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrimae, doce.
POP. Confusa tristi proximae noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta sensu. laeta nam postquam dies

Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.
Cum inopia' st, cupias; quando ejus copia' st, tum non velis.
Ille qui aspellit, is compellit: ille qui consuadet, vetat.

quicum concinit Ovidius Amor. III. 4. 17:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

et Rem. Amor. v. 135:

Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando,
Temporibus si non adgrediare suis.

Sideribus atris cessit, et nocti polus,
Inter Neronis juncta complexus mei
Somno resolvor; nec diu placida frui
Quiete licuit. visa nam thalamos meos
Celebrare turba est moesta; resolutis comis
Matres Latinae flebiles planctus dabant;
Inter tubarum saepe terribilem sonum
Sparsam cruore conjugis genitrix mei
Vultu minaci saeva quatiebat facem:
Quam dum sequor, coacta praesenti metu,
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu: lata quo praeceps, toros
Cerno jugales pariter et miror meos,
In queis resedi fessa. venientem intuor
Comitante turba conjugem quondam meum,
Natumque. properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula;
Irrumpit intra tecta cum trepidus mea,

---

721) *Inter tubarum saepe terribilem sonum*) Heinsius refingit: *Inter tubarum septa terribili sono*, quod sit, tubarum sono terribili circumdata. Festivum vero negotium! *saepe quatiebat*, hoc est, quassabat, jungere nemo dubitabit.

725) *Diducta subito*) Duo codices *Deducta*, ut saepe erratum. Seneca in Herc. fur. v. 281:

orbe diducto redi.

ubi vide.

732) *cum trepidus mea, Ensemque jugulo*) *trepidus* haud dubie Nero, cujus et *jugulum* intelligi voluit poëta, visum fingens ex facto. Suetonius in Ner. c. 49. *Jamque equites appropinquabant, quibus praeceptum*

Ensemque jugulo condidit saevum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor:
Quatit ora et artus horridus nostros tremor,
Pulsatque pectus: continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu, quid minantur Inferûm manes mihi,
Aut quem cruorem conjugis vidi mei?
NUTR. Quaecunque mentis agitat infestus vigor,

---

erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, trepidanter effatus,

ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,

ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito, a libellis.

740) *agitat infestus vigor)* Heinsius malit *intensus*, vel cum Gronovio *intentus vigor*, laudans ex Lucret. IV. (v. 962):

Et quoi quisque fere studio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione magis contenta fuit mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire.

Sed nihil conjecturis utimur. *infestus vigor* est, qui non patitur mentem requiescere, consistere. Cicero de Divinat. II. §. 128. *Naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens, agitatione et motu esse vacuus potest. Is cum languore corporis, nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia, et incerta ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit, aut cogitarit. quarum perturbatione mirabiles interdum exsistunt species somniorum.* Apud Attium in Bruto somniorum interpretes:

quae in vita usurpant homines, cogitant, curant, vident,

Ea per quietem sacer et arcanus refert
Veloxque sensus. conjugem, thalamos, rogos,
Vidisse te miraris, amplexu novi
Haerens mariti? sed movent laeto die
Pulsata palmis pectora, et fusae comae.
Octaviae discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris, et patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustae manu
Praelata, clarum nomen invidia tibi
Partum ominatur. Inferûm sedes toros
Stabiles futuros spondet aeternae domus.
Jugulo quod ensem condidit Princeps tuus;
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum. recipe laetitiam, precor,
Timore pulso. redde te thalamis tuis.

POP. Delubra et aras petere constitui sacras,
Caesis litare victimis numen Deûm,
Ut expientur noctis et somni minae,
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Tu vota pro me suscipe, et precibus piis

Quaeque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui
in somno accidunt,
Minus mirum est.

741) *sacer et arcanus*) Non audiendus Heinsius, qui *pariter arcanus* reponit. *sacer* divinus est. Stoicis enim somnia divina. vid. Cic. de Divinat. II. §. 124 et 126.

751) *aeternae domus*) *aeterna domu* Heinsium maluisse comperio ex Burmanno ad T. II. Anthol. Lat. p. 107. At sic *domus* nihil differt ab *sede*, et περισσολογεῖ *Inferum sedes aeterna domu.*

760) *Et vota pro me suscipe*) Pro *Et*, quod alienum est,

Superos adora; maneat ut praesens metus.

CHORUS.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta et gratos narrat amores;
Quem modo Ledae pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt;
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem;
Quae regit, et nunc deseret astra,
Petet amplexus, Poppaea, tuos;
Quos et Ledae praeferre potest:
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danae, fluxit in auro.
Formam Sparte jactet alumnae
Licet, et Phrygius praemia pastor;

---

de Gronovii judicio edimus *Tu.* Simplicius enim hoc, quam Heinsio tentatum: *I, vota pro me suscipe.*

761) *manet ut praesens metus)* Lege cum scriptis: *maneat ut praesens metus*, id est, ut intra praesentem metum somnii consistat eventus, ut adeo somnium irritum esse jubeant. Plautus Curcul. II. 2. 20:

pacem ab Aesculapio
Petas, ne forte tibi evenidt magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum st.

773) *jactet alumnae)* Heinsius conjicit: *Formam Sparte jactet alumnam.* non male. Propert. II. 2. 42:

Post Helenam haec terris forma secunda redit.

Sed neque vulgata male habet. Virgil. Aen. VI. v. 878:

nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.

Vincet vultus haec Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella,
Phrygiaeque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito?
Aut quid pectore portat anhelo?

NUNTIUS, CHORUS.

NUNT. Quicunque tectis miles exsultat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes, ecce, Praefecti trahunt
Praesidia ad urbis; victa nec cedit metu
Concepta rabies temere, sed vires capit.
CHOR. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
NUNT. Octaviae furore perculsa agmina,
Et efferata per nefas ingens ruunt.

---

785) *mentes agitat attonitus furor*) *attonitus furor* eadem figura dictus, qua *attonitus tumultus* apud Senecam in Herc. fur. v. 1219:

Nondum tumultu pectus attonito caret.

ubi Gronovium vide.

786) *Octaviae furore perculsa agmina*) Frustra Gronovius et Heinsius *favore* malebant. *Octaviae furore* est, insigne quoddam, et ad furorem prope accedens vulgi studium in Octaviam. Silius II. v. 324:

Vidi animos, mortesque virûm, decorisque furorem.

ubi cfr. Dan. Heins. Cum *furore* vero melius convenit *perculsa*, quam *percussa*, quod in quibusdam libris habetur. Val. Maximus IX. 5. 5. *in centumvirale judicium adeo favorabilis descendit, ut vix justis et aequis sententiis consternatio populi ullum relinqueret locum.*

CHOR. Quid ausa facere, quove consilio, doce.
NUNT. Reddere penates Claudiae Divi parant,
Torosque fratris, debitam partem imperii.
CHOR. Quos jam tenet Poppaea concordi fide?
NUNT. Hic urit animos pertinax nimium favor,
Et in furorem temere praecipites agit.
Quaecunque claro marmore effigies stetit,
Aut aere fulgens ora Poppaeae gerens,
Afflicta vulgi manibus, et saevo jacet
Eversa ferro. membra per partes trahunt
Deducta laqueis. obruunt turpi diu
Calcata coeno. verba conveniunt feris
Immixta factis, quae timor recipit meus.

---

792) *pertinax nimium furor*) Quod jam antea Grotii aliorumque emendatione reponendum esse visum est, *pertinax nimium favor*, nunc recepimus. Infra v. 878:

O funestus multis populi
Dirusque f a v o r.

794) *claro marmore*) Heinsius vana conjectura scribit *Pario*. Aliud enim marmor non intelligit, *clarum* dicens, hoc est, splendidum, tali prae caeteris Pario. Seneca in Hipp. v. 797:

Haec solem facies rarius appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.

800) *quae timor recipit meus*) Delrius, applaudente Gronovio, corrigit: *quae timor reticet meus*. At non video, cur verba potius quam facta reticeat. Tum ne reticet quidem, narrans, ut seditio ad minas ignium progressa sit. *recipit*, id est, praestat. Ovidius Met. VI. v. 566:

at ille
Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.
Et lacrimae f e c e r e f i d e m.

Sepire flammis Principis sedem parant,
Populi nisi irae conjugem reddat novam,
Reddat penates Claudiae victus suos.
Ut noscat ipse civium motus, mea
Voce haud morabor jussa Praefecti exsequi.
CHOR. Quid fera frustra bella movetis?
Invicta gerit tela Cupido,
Flammis vestros obruet ignes:
Queis exstinxit fulmina saepe,
Captumque Jovem coelo traxit.
Laesi tristes dabitis poenas
Sanguine vestro. non est patiens
Fervidus irae facilisque regi.
Ille ferocem jussit Achillem
Pulsare lyram; fregit Danaos;
Fregit Atridem; regna evertit
Priami; claras diruit urbes.
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta Dei.

---

803) *Claudiae victus suos.*) Heinsius malebat *invitus.* Alterum tamen fortius, et quo ipse Nero usus est v. 583:

fama sed victum feret.

813) *Fervidus irae*) *Fervidus* Veneris puer est ab Horatio Od. I. 30. 5. de quo non cogitabat Heinsius, cum haec ita refingeret:

non is patiens
Fervidae est irae, facilisque regi.

ACTUS QUINTUS.

NERO, PRAEFECTUS.

NERO. O lenta nimium militis nostri manus,
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Exstinguit in nos, caede nec populi madet
Funerea Roma, quae viros tales tulit!
Admissa sed jam morte puniri parum est,
Graviora meruit impium plebis scelus.
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta conjux et soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo,

---

824) *viros tales*) *tales*, in quo tricatur Heinsius, accipe pro, tam ignavos, molles, et confer de hac minuendi potestate vocis Cort. ad Cic. Ep. Fam. I. 7. 8.

Iramque nostram sanguine exstinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis.
Ignes, ruinae, noxium populum premant,
Turpisque egestas, saeva cum luctu fames.
Exsultat ingens seculi nostri bonis
Corrupta turba: nec capit clementiam
Ingrata nostram, ferre nec pacem potest,
Sed inquieta rapitur. hinc audacia,
Hinc temeritate fertur in praeceps sua.
Malis domanda est, et gravi semper jugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat,
Contraque sanctos conjugis vultus meae
Attollere oculos. fracta per poenas metu
Parere discet Principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota praeposuit meis.

---

833) *saeva cum luctu fames*) *moestam famem* Seneca dixit Herc. fur. v. 691. *turpis*, hoc est, deformis, sordida, *egestas* debetur Virgilio Aen. VI. v. 276. Maximas igitur nugas agit Heinsius, locum ita refingens: *Turpique egestas saeva cumuletur fame.*

842) *fracta per poenas metu*) Heinsius rectius legi putabat: *fracta post poenae metu.* Sed *poenae* nimium esset. *metum*, non *poenae metum* dixerunt, qui hujus ad parendum stimuli meminere, Seneca Phoenis. v. 658. et Oedip. v. 704. Plinius Epist. VIII. 24. 6. et Panegyr. 49. 2. Noster ipse v. 456. et alii.

843) *Principis nutu sui*) *nutu* pro nutui positum est. Sic jam erat supra v. 484:

Nutuque terras, maria subjecit tuo.

et sic *metu* pro metui dixit Virgilius Aen. I. v. 257.

PRAEF. Populi furorem caede paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.
NERO. Et hoc sat est? sic miles audisti ducem?
Compescis? haec vindicta debetur mihi?
PRAEF. Cecidere motus impii ferro duces.
NERO. Quid? illa turba, petere quae flammis meos
Ausa est penates, Principi legem dare,
Abstrahere nostris conjugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incesta manu
Et voce dira, debita poena vacat?
PRAEF. Poenam dolor constituet in cives tuos?
NERO. Constituet, aetas nulla quam famae eximat.
PRAEF. Quam temperet non ira, non noster timor?
NERO. Iram expiabit prima quae meruit meam.
PRAEF. Quam poscat, ede, nostra ne parcat manus.
NERO. Caedem sororis poscit, et dirum caput.
PRAEF. Horrore vinctum trepidus adstrinxit rigor.

---

856) *dolor constituet)* Nam, ut ait Seneca Troad. v. 345:
injustus dolor
Rerum aestimator.

858) *non ira, non noster timor)* Optime Bothius explicat: „Ira Caesaris, qua commotum non decet graviora in quenquam decernere." Heinsius conjecerat *non vester tumor*: *tumorem* et *iram* saepe conjungi. Vellem tamen videre, qui duas ad negationes conjunxerit.

NERO. Parere dubitas? PRAEF. Cur meam damnas fidem?
NERO. Quod parcis hosti. PRAEF. Femina hoc nomen capit?
NERO. Si scelera cepit. PRAEF. Estne, qui sontem arguat?
NERO. Populi furor. PRAEF. Quis regere dementes valet?
NERO. Qui concitare potuit. PRAEF. Haud quemquam reor.
NERO. Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis;
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed aegras frangeret vires timor,
Vel poena; quae tam sera damnatam premit,
Diu nocentem. tolle consilium, ac preces,
Et imperata perage: devectam rate
Procul in remotum litus interimi jube,
Tandem ut residat pectoris nostri tumor.

CHORUS, OCTAVIA.

CHOR. O funestus multis populi
Dirusque favor! qui, cum flatu

---

868) *Mulier*) Octaviam intellige. Cicero pro Cluent. §. 184. de Sassia: *En hoc illud est, quod ante dixi: mulier abundat audacia: consilio et ratione deficitur.*

874) *devectam rate*) Mss. aliquot *deductam*. Sed honorificentius id, quam pro damnata.

Vela secundo ratis implevit,
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto saevoque mari.
Flevit Gracchos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor,
Nimiusque favor, genere illustres,
Pietate, fide, lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, simili leto
Fortuna dedit; quem neque fasces
Texere sui, nec tecta domus.
Plura referre prohibet praesens
Exempla dolor. modo cui patriam
Reddere cives, aulam, et fratris
Voluere toros; nunc ad poenam
Letumque trahi, flentem, miseram
Cernere possunt. Bene paupertas
Humili tecto contenta latet.
Quatiunt altas saepe procellae,
Aut evertit Fortuna domos.
OCT. Quo me trahitis? quodve tyrannus
Aut exsilium regina jubet?
Si mihi vitam fracta remittit

---

888) *quem neque fasces*) id est, magistratus dignitas. vid. Interpp. ad Ov. Fast. V. v. 51.

901) *Si mihi vitam*) Recte Gronovius interpretatur: „Si misericors mihi vitam donat, cur imperat exsilium? si ibi quoque pereundum est, cur non hic morior?“

Tot jam nostris eviota malis;
Si caede mea cumulare parat
Luctus nostros; invidet etiam
Cur in patria mihi saeva mori?
Sed jam spes est nulla salutis,
Fratris cerno miseranda ratem.
Haec est, cujus vecta carina
Quondam genitrix, nunc et thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum Pietas nunc numen habet,
Nec sunt Superi, regnat mundo
Tristis Erinnys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? quae lacrimis nostris questus
Reddet Aedon? cujus pennas
Utinam miserae mihi Fata darent!
Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri, procul et coetus
Hominum tristes, caedemque feram.

---

902) *evicta malis*) Non assentior Gronovio, *et victa* legenti. Evicerunt mala, ut frangeretur, molliretur.

903) *Si caede mea*) Non erat, cur Gronovius rescriberet *Sin*. Cicero Ep. Fam. IV. 2. *Si, quid rectissimum sit, quaerimus, perspicuum est: si, quid maxime expediat, obscurum*. et VII. 11. *si cito te retuleris, sermo nullus erit: si frustra diutius abfueris, non modo* etc.

920) *caedemque feram*) Octavia *caedem* intelligit suam, et fallerem, inquit, percussores meos; ut Tereum Philomela fefellit; necem saevam effugerem alis. Ovidius Met. VI. v. 666:

Sola in vacuo nemore et tenui
Ramo pendens, querulo possem
Gutture moestum fundere murmur.
CHOR. Regitur fatis mortale genus;
Nec sibi quidquam spondere potest
Firmum et stabile:
Per quae casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.
Animum firment exempla tuum
Jam multa, domus
Quae vestra tulit. quid? saevior est
Fortuna tibi? tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippae, nurus Augusti,
Caesaris uxor, cujus nomen
Clarum toto fulsit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis; mox exilium,
Verbera, saevas passa catenas,

Nunc sequitur nullo genitor Pandione ferro.
Corpora Cecropidum pennis pendere putares;
Pendebant pennis. quarum petit altera silvas;
Altera tecta subit.

931) *quid saevior est Fortuna tibi?*) Distingue: *quid? saevior est Fortuna tibi?*
quid eleganter interrogationis plenioris vice fungitur, ut apud Petronium c. 26. *Quid? vos, inquit, nescitis hodie apud quem fiat?* ubi plura Burmannus, quem vide.

Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu. Felix thalamis
Livia Drusi, natisque, ferum
Ruit in facinus, poenamque suam:
Julia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro
Caesa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quae rexit Principis aulam,
Cara marito, partuque potens?
Eadem famulo subjecta suo,
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in coelum
Sperare, parens tanta Neronis?
Non funesta violata manu
Remigis ante,
Mox et ferro lacerata diu,
Saevi jacuit victima nati?
OCT. Me quoque tristes mittet ad umbras
Ferus et manes, ecce, tyrannus.
Quid jam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, queis jus in nos
Fortuna dedit. testor Superos.
Quid agis, demens? parce precari,
Queis invisa es, numina Divûm.
Tartara testor, Erebique Deas
Scelerum ultrices, et te, genitor,
Dignum tali morte et poena:
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,

Ventisque petat puppis rector
Pandatariae litora terrae.
CHOR. Lenes aurae, Zephyrique leves,
Tectam quondam nube aetherea
Qui vexistis raptam saevae
Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoque tristi procul a poena
Portate, precor, templa ad Triviae.
Urbe est nostra mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic caede litatur
Numen Superûm: civis gaudet
Roma cruore.

---

981) *civis gaudet*) Inepte olim lectum *cujus*; atqui de Octavia sermo est; mendum sustulit Canterus Var. Lect. II. 22. Heinsii *civico* lex carminis respuit.

INDEX

EORUM, QUAE IN NOTIS ILLUSTRANTUR AUT EXPLICANTUR.

Sumtibus Gerh. Fleischeri bibliopolae Lipsiensis hi quoque libri prodierunt:

Apollonii Rhodii Argonautica. Ex recens. et cum notis R. F. P. Brunckii. Edit. nova auct. et correctior. Accedunt scholia graec. ex Cod. biblioth. Parisinae nunc primum evulgata. 2 Vol. 8 mai. 1810 et 1813.
Charta impress. 6 thlr.
Charta script. 7 thlr. 12 gr.

Aristophanis Comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta. Recognovit ad veteres membranas, variis lect. ac notis instruxit et Scholiastas locupletavit Tiber. Hemsterhuis. Edit. nova emend. et append. notarum aucta. 8 mai. 1811.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr. 16 gr.

Aristotelis ars poëtica, cum commentariis Godofr. Hermanni. 8 mai. 1802.
Charta impress. 1 thlr. 12 gr.
Charta script. 1 thlr. 20 gr.

Arcadius de accentibus. E codicibus Parisinis primum edidit Edmund Henr. Barkerus. Addita est editoris epistola critica ad Ioh. Fr. Boissonade. 8 mai. 1820. 1 thlr. 8 gr.

Ciceronis, M. T., de Officiis libri tres. Recensuit et Scholiis Iacobi Facciolati suisque animadversionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 mai. 1811.
Charta impress. 2 thlr. 4 gr.
Charta script. 2 thlr. 12 gr.

Euripidis Tragoediae, edit. R. Porson. Tom. I. Editio in Germania altera correctior et auctior indicibusque locupletiss. instructa. 8 mai. 1807.
Charta impress. 2 thlr. 12 gr.

— Hercules furens. Recensuit God. Hermannus. 8. 1810. 12 gr.

— Supplices. Recensuit God. Hermannus. 8. 1811. 12 gr.

— Tragoediae. Ad optim. librorum fidem recens. et brev. notis instrux. Aug. Seidler. Vol. I. Troades. Vol. II. Electra. Vol. III. Iphigenia in Tauris. 8. 1812—1813. 2 thlr.

Gerhardii, E., Lectiones Apollonianae. 8 mai. 1816. 1 thlr. 8 gr.

Gronovii, I. Fr., in S. Papinii Statii Silvarum libr. V. Diatri-

be. Nova editio ab ipso auctore curata. Accedunt Emerici Crucei Antidiatribe, Gronovii Elenchus Antidiatribes et Crucei Muscarium. Edidit et annotationes adiecit Ferd. Handius. 2 Vol. 8 mai. 1812.

Charta impress. 5 thlr.

Charta script. 6 thlr.

Plüschke, M. J. G., das lateinische Verbum nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemässen und sehr fasslichen Ordnung der Temporum ausgearbeitet und in 14 Tabellen für den Elementarunterricht in der latein. Sprache systematisch dargestellt. Fol. 1814. 16 gr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diversitatem adnotavit, indices rerum et verborum copiosissimos adiecit Chr. Godofr. Schütz. Vol. I—XIX. P. I—III. 8. 1814—1820. 21 thlr. 16 gr.

— Oratio Philippica secunda, übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte von M. G. G. Wernsdorf. gr. 8. 1815. 20 gr.

Valckenarii, Lud. Casp., Opuscula philologica, critica, oratoria, nunc primum coniunctim edita. Accedunt indices. T. I. et II. 8 mai. 1808 et 1809.

Charta impress. 5 thlr. 8 gr.

Charta script. 4 thlr.

Aeschylos Agamemnon metrisch übersetzt von Wilh. von Humboldt. 4. 1816. 1 thlr.

Suetonii, C. Tranq., Opera, textu ad praestantissimas editiones recognito, continuo commentario illustravit, clavem Suetonianam adiecit Detlev Carol. Guil. Baumgarten-Crusius. Vol. I—III. 8 mai. 1816—1818.

Charta impress. 9 thlr. 12 gr.

Charta script. 11 thlr.

Propertii, Sex. Aurelii, Carmina emendavit ad codicum fidem et annotavit Carolus Lachmannus. 8 mai. 1816. 2 thlr. 8 gr.

Nicandri Colophonii Theriaca, id est de bestiarum venenis eorumque remediis carmen, cum Scholiis graecis auctioribus, Eutecnii metaphrasi graeca, editoris latina et carminum perditorum fragmentis, ad librorum scriptorum fidem recensuit, emendavit et brev. annotatione illustravit J. G. Schneider, Saxo. 8 mai. 1816.

Charta impress. 3 thlr.

Charta script. 3 thlr. 16 gr.

Tibulli, Albii, Carmina ex recensione et cum animadversionibus Immanuelis G. Huschkii. Accedit Specimen Editionis Venetae A. MCCCCLXXII. aeri incisum. 2 Tomi. 8 mai. 1819. 6 thlr.

